PAPISSA MONSTROSA, ET MERA FABVLA:

siue

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA:

QVA EX VVLGI ERRORE ORTVM de Papissa figmentum, ex vera Chronologia, & alto scriptorum in subsequentibus annis de ea silentio, vti & leui ac incerta Recentiorum narratione, penitus profligatur & eliminatur.

Opposita nugis, & calumnijs cuiusdam Egberti Grim Caluinistæ.

AVTHORE
IOHANNE STALENO, PASTORE & Canonico Resensi.

2. Tim. 4. 4. *A veritate quidem auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptib. hæred. BERNHARDI GVALTERI.
ANNO M. DC. XXXIX.

PERILLVSTRI
& Generoso Domino,
D. ALBERTO,
COMITI DE MONTE DOMINI;
MARCHIONI BERGÆ AD SOMAM,
DOMINO DE BOXMEER &c.
Domino suo.

Perillustris & Generose Comes.

ATTRAHIT *me optimarum in te virtutum odor, ex optimè instituta aula plene erumpens, & gratiose afflans, vt eã Libello hoc subire audeam, & nomini; ac tutelæ Excellentiæ tuæ committã. Qualis enim*

ea aula? Deprædicant eam, qui lustrarunt, boni omnes, & famâ esse maiora omnia, proprio experimento constāter affirmant. Quantus ad cultum diuinum zelus? Quæ in mensa temperantia? vt quid sit ebrietas in ea passim nesciatur? In alloquio, & conuersatione mira in Comite elucet comitas: In peregrinos & aduenas, maxime Religiosos mire se effundit hospitalis animus; Immo ipsa charitatis viscera. In libris sacris manibus terendis, deuota & pertinax assiduitas, ad quod instructa librorum sacro-

crorum Bibliotheca. In monitis, & exemplis ſacris admittendis, hilaris attentio.

Summa: Virtutum ſpeculum omnibus in aula propoſitum Albertum Comitem referunt. Audio ipſos Religioſos, in tam raro virtutum exemplari contuito, pudore bono ſuffuſos, ac ſuperari à Laico multorum Religioſorum vitam partim dolebant, partim gaudebant.

Dum hæc viſa narrant alij, videre me arbitrabar ſanctam S. Elzearij Comitis aulam, & ei præſcriptas leges; Eum zelare ſane videris,

ris, & hoc exulcerato tempore, & errorum incendio pene assequi.

Non adulor, Optime Comes, sed quæ publica fama certissima esse mihi persuadet, Orbi ad imitandũ narro, & mirandum. Vbi iam illud Lucani Poëtæ:

——————Exeat aula
Qui volet esse pius. Virtus & summa potestas
Non coëunt. ————

Alia docuit Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. aula, de qua acta extant, vti & Alberti Archiducis, Principis Pij Belgarum, eiusque Coniugis Isabellæ Hispan.

ſpan. Infantis, aula, Quos ſequeris, Alberte Comes, adeo vt vere iam dicamus:

———————Intret in aulas,
Qui volet eſſe pius. Virtus & ſumma poteſtas
Hic coëunt.————

Sed præſtat Virtutes has ſilentio mirari & adorare, quam rudi calamo, de illarum ſplendore detrahere.

Ergo placeat Excellentiæ tuæ Libellum hũc in tutelam ſuſcipere, & Bibliothecæ adiungere; quem benigne ſuſcepiſſe, & calculo ſuo approbaſſe, laboris mihi pretium erit. Deum precor, vt cum Virtute, conſeruet & augeat animi

constantiam, & vtrique reponat Iustus Iudex suo tempore dandam ÆTERNITATIS *coronam. Sic voueo. Resæ è Musæo meo 2. Martij, die S. Carolo Comiti Flandriæ sacro, qui ob affectum in pauperes, tandem Martyrio Brugis ante altare B. Mariæ Virginis orans est coronatus. Anno* 1639.

Excellentiæ Vestræ

Seruus

Ioannes Stalenus

Pastor Resensis.

AD SANVM LE-
ctorem.

EN poſt tot de fabula Papiſſæ diſſertationes, & hæc de eâdem lucem adſpicit, ſic oportuit; poſtquam Graculus quidam Egbertus Grim Caluiniſta, eandem in ſcenam reproduxit, in grandi ſuo, & male conſarcinato Centone de hac, cui, vt craſſitie Lectori fucum faceret, infarciuit, & adſuit, quicquid vndique calumniarum ex Myſterio Iniquitatis Pleſſei, Nigrino, VVolphio, & alijs conquirere potuit.

Et quidem, dum à Iuſto

Iudice hinc per mortem eſt euocatus, ad tempus ſuperſedi hoc labore, nolens Manes laceſcere: ſed rurſum euocatus ab eo, qui ſe ei morięti Hyperaſpiſten addixerat, VVernero Teſſenmaecker, Magno illo Annalium Cliuiæ ſcriptore, ſcilicet! reſumpſi, quæ ſparſim collegeram, & in ordinem redegi: cum & Clientem ſuum morte ſubita eſt ſubſequutus. Erit alius, qui cloacam rurſum mouebit; ſed veritate tam clara munitus, non terrebor. Hiſtorica eſt materia, & authoribus certis

tis agendum. Disputatio enim nostra non est, num Authores, & quidem Catholici hanc fabulam referant? sed num authentice, id est, plena fide, & authoritate, & velut certam historiam? quæ certe à constanti scriptorum eius temporis testimonio, vel à vicinis illi tempori, quales tunc multi fuerant, desumenda est.

Intentio autem nostra est, demonstrare, authentice eam non constare; quin manifestissimo cõstare, narrationem illam inuoluere impossibilitatem facti; stante

te

te vera ratione temporum, & atteſtatione hiſtoricorum, quos doceo inter ſubſequentes quatuor annorum Centurias ab anno 855. quo ſediſſe fingitur, ad annum 1255. nihil de ea habere, adeoque non authenticum, ſed fictitium eſſe, quicquid ex vulgi rumore recentiores hac de re habent. Hic ſcopus meus.

Ne autem mireris, acerbiori nonnumquam ſtylo notari Grimmium: Nam cum ſine perſonarum reſpectu in quemque atra bili excurrat, in Cardinales, Epiſ-

piſcopos, Doctores, alioſq; præclaros viros, quos altero fere verbo mendaces exclamat, & quaſi ſcurras exagitat, oportuit nonnumquam eius notare impudentiam, & mendacia: Nam vetus dictum eſt: *Qui quæ vult dicit, audiat, quæ non vult.* Volui tractatum breuem eſſe, nec alterius rei quidquam immixtum; ſcriptori enim ſcopus ſuus fixus eſſe debet.

Tu Lector lege, iudica, & vale.

SVM-

SVMMA DISSERtationis huius.

QVæstio est, num anno 855. salutis nostræ, post Leonem IV. electa sit in Papam Mulier sexum virilem mentita, Ioannes nomine, sederitque vltra biennium in Sede Pontificia, donec imprægnata, pudendo partu sexum suum detexit, illique successit Benedictus III.

Narrant Recentiores scriptores rem ex vulgi fama. Tacent Veteres annorum illorum Scriptores, repugnat & vera temporis supputatio.

Ostenditur hoc Libello, purum putum figmentum esse, nec vllam fidem mereri plurimorum Scriptorum hac de re narrationem. Vis summam probationis? Accipe hoc syllogismo:

1. *Qui tacentibus, & repugnantibus, duorum, immo quatuor seculorum scriptoribus, rem ante quadringentos annos quasi gestam, idq; ex rumore solum vulgi, & inconstanter tradunt, illi plenam cum authoritate huius rei fidem non faciunt, siue, non sunt quoad hoc authentici.*

2. *Sed Recentiores scriptores, qui Papissam statuunt; tacentibus, & repugnantibus, duorū, immo*

qua-

quatuor seculorum scriptoribus, rem hanc quasi gestam commemorant, idque ex rumore solum vulgi, & inconstanter.

Ergo Recentiores scriptores, qui Papissam statuunt, non faciunt plenam cum authoritate fidem, siue non sunt quoad hoc authentici.

Propositio manifesta est: Quod enim ante me gestum dicitur, & maxime ante aliquot secula, vt plenam cum authoritate fidem eius faciam, necesse est id ex fide dignis historicis, qui circa illud tempus floruerunt, vel fide dignis instrumentis id asserere: Alioquin cerebri mei figmentum habebitur, si nunc quid prodam gestum, quod omnes ante me tacent; maxime, si non defuerint, qui accurate res gestas illorum temporum prosequuti fuerint.

Assumptio in decursu Libelli huius patebit; in eo enim primo ostendetur, quam inconstanter res hæc narretur. 2. Quod scriptores spatio quadringentorum annorum non solum taceant, sed eam temporum rationem statuant, quæ figmento Papissæ plane repugnet. Quod ipsum & Aduersariorum testimonio patebit.

Habes Lector Libelli summam contractam, tu vero absque paßionibus probantem me audi, & iustum tunc Iudicium forma.

APPRO-


APPROBATIO.

QVandoquidem nihil, quod vel aduerſetur fidei noſtræ Sacroſanctæ, vel bonis moribus, aut veritati hiſtoriæ officiat, complectitur Diſſertatio hiſtorico-Theologica, Reu. ac Doctiſſ. Viri ac D. Ioannis Staleni, Paſtoris ac Canonici Reſenſis, quâ monſtroſam illam & lippis & tonſoribus notam de Papiſſa fabulam, explodit & eliminat; placet vt typis mandetur, & publicam lucem adſpiciat, auctoritate & conſenſu Adm. Reuer. & Eximij Viri ac D. Henrici Francken Sierſtorpffij, Doct. Theologi, & Canonici Metropolitani, &c. librorum Cenſoris ordinarij. Dabam Coloniæ Agrippinæ ad S. Petrum, Anno 1639. 18. Februarij.

ARNOLDVS *Meshouius Lippienſis, SS. Theologiæ Licentiatus, Paſtor S. Petri mpp.*

TRACTATVS I.

QVO EVERTITVR FABVLA de Papissa ex discordibus testibus eius.



OTISSIMVM *illud in iure est: Te-stes debere esse contestes. Cuius memorabile exemplum extat in Histo-ria Susannæ, Dan. 13. dum Iudæorum Iudices in Babylone deponentes de adulterio Susan-næ mendacij conuicti sunt, & falsi testimonij rei, ex discordi testimonio, siue quod Contestes non essent. Contingit quidem in historia in substantia facti conuenire testes, sed differre in accidentibus circumstantijs, sed puto nihil vnquam sub sole auditum, quod in omnibus eam contradictionem patiatur, quam fabula de Papissa: adeo vt merito fœtere debeat, & suo fœtore confundere omnes eius assertores, & defensores.*

Eleganter, etsi aliud agens Paulus Iurisconsul-tus in l. Antiqui ff. si pars hæreditatis petatur: Ideo multa de huiusmodi tam vana, tam incredibilia creduntur, vt fabulis adnu-merentur.

Ergo Papissam ab incunabulis ad sepulchrum vsque ex authoribus recentioribus exhibeo, vt

ostendam non minimam eius esse circumstantiam, nisi contradictioni subiectam, adeoque de veritate suspectam. Tu lector specta & Babylonicam Confusionem nota. Verissimum est hic illud Propertij:
Maxima de nihilo nascitur historia.

QVÆSTIO PRIMA.

E qua mundi regione prodijt hoc Papissæ monstrum?

1. *FVit Germana.*

Ita Fasciculus temporum, hancque ob causam quosdam putare ait, non fuisse post eam Germanum aliquem ad Pontificatum assumptum: quod falsum esse patet exemplo Steph. IX. Victoris II. Clementis II. &c. Bocacius lib. de fœm. illust. Balæus de script. Britanniæ, sed Anglam dictam ab Anglo Monacho Fuldensi. Anonymus de Ioanna 8. contra Iesuitas. Iacobus Curio in Chronico.

2. *Fuit Angla.*

Ioannes Marius de Schismat. & Concil. Baptista Fulgosus lib. 7. cap. 3. *Fœmina Britannica.* Iacobus Bergomensis in supplemento: *Natione Anglicus.* Ioannes de Marcouille lib. de laude mulierum: Ioannes Stella lib. de vitis Rom. Pont. Osvvaldus Crellius in Itinerario, Ital. *Fœmina Angla.* Christianus Massæus in Chron. *Mulier Anglica.* Achilles Gassarus in Epitome: *Natione Anglicus.*

Zvvin-

Zvvingerus in Theatro. Sebaſtianus Francus in Chron.

3. *In Anglia non nata, ſed educata.*
Bibliander in Chron.

4. *In Anglia neque nata, neque educata.*
Franciſcus Iunius in Bellarminum lib. 3. de Pontifice cap. 24. Nota hic inſulſum cerebrum Caluiniſtæ Grimmij de hac Papiſſa, qui vt tollat hanc opinionum diuerſitatem, notat nomen *Anglici* non eſſe nationis aut prouinciæ, ſed familiæ nomen, Engels. & inepte probat ex illis Theodorici de Niem lib. de Priuil. & Iuribus Imp. *Ioannes vocatus de Anglia.* vbi ſane Anglia nomen eſt inſulæ, non familiæ. Verum Authores non ſolum nude dicunt eam Anglicam, ſed fere addunt: *Natione Anglicam*, vel: *Britannam.* vel: *fœminam Anglam.* Valeat ergo phantaſta Grimmius, cū ſuo hoc figmento.

QVÆSTIO II.

Quæ ciuitas huius monſtri patria?

1. M*oguntia.*
Platina de Vitis Pont. Crantzius lib. 2. Metrop. Faſciculus temp. Bocacius de claris mul. cap. 96. Richardus VVaſſen: Curgius apud VVolphium. Anſelmus Rydt in Catalogo. Sabellicus Enneade 9. Henricus Primæus de Cerim. Pont. Carion in Chronico. Balæus de ſcript. Britan. Michael Stifelius lib. de num. Danielis.

2. *Non Moguntia, sed oppidum* Engelheim *in Palatinatu.*

Conradus Deckerus in Papissa Romana cap. 6. vultque ex illa Engelheim Anglicam dictam. O vatem!

3. *Margantina fuit, vel Mangantina.*

Ita Polonus in exemplari anni 1574. & alijs.

4. *Fuit Angla natione Moguntina.*

Gallus quidam Scriptor. Ranulphus in Polychron. Author veteris fragmenti apud VVolphium. *Ioannes de Anglia natione Moguntina.*

5. *Patria incerta est.*

Reineccius in Scholio ad Albertum Stadium.

Optime: quia nullibi natum, quod nunquam fuit, Monstrum.

QVÆSTIO III.

Qui eius Parentes?

1. *Pater fuit Sacerdos ex Anglia, missus in Germaniam ad propagandam fidem.*

Centuriatores Magdeburg. Iacobus Curio apud Anonymum.

Grimmius lib. 2. de Papissa cap. 12. *Monachus & Sacerdos.* At quo vetustiori teste? Nullo nisi Cerebro phantastico.

2. *Parentes orti sunt è* Mayenem.

Ioan-

Ioannes de Marcouille lib. de laude mul. sed filia fuit Angla.

3. *Mater fuit scortum. Pater sacrificus Moguntiæ.*

Quidam apud Sethum Caluisium in opere Chronol.

At velim, vt ex aliquo antiquiore Scriptore hæc ostendãt Aduersarij, qui tam audacter ea effutiunt: sed nimirum globi niuei instar, quem per terram versant pueri, sic fabula hæc, quæ tenuiter primo incerta fama est progenita, magnum tandem progressu temporis per nimiam & incuriosam credulitatem, figmentum facta est. Ostendant nobis ex vetustioribus Matrem Scortum, Patrem Monachum & Sacerdotem ex Anglia fuisse, vel mendacij arguuntur.

QVÆSTIO IV.

Quod ei nomen?

1. *Gilberta.*

Contarinus Crucifer apud Grim. Ioannes Balæus in Cent. script. Britan. Iacobus Curio in Chronico. Annales Augustani. Bocacius de claris mulieribus cap. 96.

2. *Agnes.*

Ioannes Huss. lib. de Ecclesia. Fulgosus libr. 7. cap. 3. Michael Stifelius lib. de num. Dan. Mulier *Agnes fit Papa Ioannes.*

Valentinus Müntzer in suo Chronico, Onus Ecclesiæ cap. 19. §. 4. Lutherus in Colloquijs tit. 27.

3. *Ioannes vel Ioanna.*

Bocacius de Claris fœm. Petrus de Mesia in Sylua. Ioannes de Marcouille in laude mulierum.

4. *Iutta.*

Chronica Coloniensia Germ. & Belgæ communiter.

5. *Isabella.*

Germani quidam.

6. *Nomen eius nescitur.*

Martinus Prædicator in Chronico. Author Compilat. Chronolog. Philippus Bergomensis de Claris fœm. Optime. Cum & monstrum hoc nesciatur.

QVÆSTIO V.

Quæ eius in Iuuentute vita?

1. M*eretrix fuit.*

Centuriatores Magdeburgenses. Contarinus Cruciger. *Tam Veneri, quam artibus liberalibus operam dedit.*
Bocacius sup. Fulgosus sup. *domo fortaßis ob impudicitiam profuga.*

2. *Maga fuit.*

Ioannes Balæus sup. *de Magia scripsit librum vnum.* O mendacem! Anonymus de Ioanna 8.

3. Con-

3. *Continens fuit, dum studuit, ac ob laudatos mores Pontificatum meruit.*

Theodorus Zvvingerus in Theatro. Theodoricus de Niem sup. Bocacius sup. dum amasius eius in Anglia moritur.

QVÆSTIO VI.

Quis eius amasius, & quo eam duxit?

1. **M**Onachus ex monasterio Fuldensi.

Chronica Augustana latina: *Ab Anglo quodam Fuldensis Cœnobij Monacho tum per Græciam, tum per Italiam mentito sexu circumducta.* Iacobus Curio: *Monachum in maritum duxit, à quo per Ecclesias & Monasteria est deducta:* Balæus sup. Paulus Merula in thesauro temp. pag. 571.

2. *Studiosus adolescens Moguntiæ.*

Bocacius sup. *à Iuuene studioso Moguntiæ didicit in domo paterna linguam latinam, & ab eo ducta est in Angliam.*

Contarinus sup.

3. *Cardinalis, qui eam duxit in Angliam.*

Lutherus in Colloquijs mensal. tit. 27.

4. *Amasius duxit eam Romam.*

Chronica Augustana M. S. Paulus Merula sup.

5. *Amasius non duxit eam Romam.*

Iacobus Curio in Chron. Rabbi Dauid Hau ex fide Grim.

QVÆSTIO VII.

Vbi studuit?

1. *A Thenis.*

Platina sup. Martinus Polonus in Chron. Fulgosus sup. Zvvingerus sup. Balæus sup.

2. *Parisijs.*

Schorembergius in sua de hac Tragœdia, ac dicit ibi consequutam eam Magisterium & Doctoratum.

3. *In Anglia, & ex Anglia venit Romam.*

Bocacius sup. Theodoricus de Niem sup. Contarinus de scientia mulieris Saxonicæ. Philippus Bergom. de claris mulieribus cap. 144.

Quærerem, vbicumque studuerit, quorum stipendijs, maxime cum amasio? An mendicarunt?

QVÆSTIO VIII.

Quot annis Romæ docuit?

1. *D Vobus.*

Theodoricus de Niem sup. Author veteris fragmenti apud VVolphium.

2. *Tribus annis.*

Chronica Hollandica ad annum 846. Paulus Merula in thesauro temporum Belgico.

3. *Aliquot annis.*

Bocacius sup.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

In quarum litterarum professione floruit?

1. T*Riuium legens magnos magistros habuit.* Martinus Polonus sup. Nauclerus volum. 2. generatione 29. Bocacius sup. Antoninus 2. parte hist. tit. 16. cap. 1. § . 7. *In Triuijs legens magnos discipulos & auditores habuit.*

2. *Sic in diuina scriptura profecerat, vt par ei non inueniretur.*

Fasciculus temporum. Ioannes Rioche in Compendio temporum: *Romæ litteris sacris studuit.*

Quæro 1. Quas litteras docuit, græcas, an latinas. Latinas sane Athenis non didicit. Si Græcas, quo authore vetere id constat?

Quæro 2. Si triuium legit, quomodo magnos Magistros in eo habuit? Nam triuialis scientiæ Magistri apud Quintilianum dicuntur, qui in triuijs docebant, ea nempe, quæ omnibus erant obuia, id est, inculta, & parum elegantia. Vnde Suetonius de claris Rhetoribus: *Tantummodo verbis triuialibus egit.*

Respondet Grim. Illo seculo magnos Magistros habitos, qui erant Grammatici. Magistraliter! At an in Grammatica diuinas litteras docuit?

3. *Prælegit aperte Grammaticam, Dialecticam & Rhetoricam.*

Contarinus apud Grim. Grim. lib. 2. de Papissa cap. 10. Si prælegit Dialecticam & Rhetoricam, peto num Latine an græce, si latine, id sane Athenis non didicit, si Græce. Quos instituit Græce Dialecticam?

4. *Docuit in schola Græcorum.*

Theodoricus Niem sup. nempe in qua olim August. legit.

An ergo Augustinus Romæ Rhetoricam græce docuit? Et similiter Ioannes Anglicus? Nugæ, nugæ.

Grimmius idem sentit, cum prius delitaret eam docuisse in schola Saxonum, de qua Platina in Leone 4.

Author fragmenti veteris apud Wolphium: *Per biennium in schola Græcorum docuit artes humaniores, in qua & Augustinus, vt etiam maiores, & nobiliores vrbis eius lectiones frequenter auscultauerint.* Mirum non vnum Auditorem nominari.

QVÆSTIO X.

Quando factus Pontifex?

1. ANno 850.

Antoninus ex Martino sup.

2. *Anno 851.*

Cœlius Rhodiginus lib. 8. lect. antiq.

riq.cap.1. Cum eam peperisse dicat, anno 853.

3. *Anno* 852.

Petrus Mesia sup. Ioannes Stella in vita 230. Pont. Rom. Ioannes de Marcouille sup.

4. *Anno* 854.

Sigebertus deprauatus. Cum tamen eodem anno ponat Benedictum III. Papam electum. Marcus Guazzo in Chronico Italico. Balæus sup. Leander Albertus in descript. Italiæ. in Catalogo Paparum ad annum 854.

5. *Anno* 855.

Anonymus de Ioanna 8. contra Iesuitas.

6. *Anno* 856.

Naucler. sup. Iacob. Curio in Chron.

7. *Anno* 858.

Philippus Bergomensis sup. Achilles Gassarus sup. Sebastianus Franck sup.

8. *Anno* 883.

Franciscus Rosieres stemmatum Lotharingiæ Ducum tom. 4.

9. *Anno* 1120.

Trithemius in Rosvveida, quam facit coætaneam Ioannis Papissæ, ac ponit in Catalogo post annum 1120. vixisse. Quamuis Sethus Caluisius, & qui eum sequutus est Besoldus eam anno 970. claruisse scribant. Garetius anno 937.

QVAE-

QVÆSTIO XI.

Sub quo Imperatore factus Pontifex?

1. SVb Arnolpho.

Chronica Vlmæ impressa.

2. *Sub Lothario Ludovvici Pij Filio.*

Anonymus sup. Valentinus Müntzer sup. Ioannes Rioche sup. Bernardus à Gerardo apud VVolphium, ait hanc fœminam coronasse Ludovvicum 2. & Ethelvvolphum Anglum. Ita & Centuriatores Magdeburg. Cent. 9. cap. 10. At quo teste Veteri?

3. *Sub Ludovvico 2.*

Henricus Primeus tract. de Cerem. Pontificum.

QVÆSTIO XII.

Iuuenis an senex ad Papatum promota?

1. IVuenis.

Anonymus sup.

2. *Annis maturis venit Romam.*

Contarinus Cruciger. sup.

QVÆSTIO XIII.

Cui Pontifici successit?

1. IOanni sexto.

Catalogus adscriptus Othoni Frisingensi impressus Argentorati anno 1515.

2. *Leoni IV.*

Marti-

Martinus Polonus in Chron.
Et plerique.

3. *Leoni V.*
Bocacius de claris fœminis cap. 96.

4. *Stephano V.*
Theodorus Schernberger sup.

5. *Formoso.*
Martinus Prædicator M.S. in pergameno in Cæsarea Academia Viennensi.

6. *Benedicto III.*
Author vetus apud Florimundum, & Grim. in vetusto impresso Codice. Annales Aquitaniæ, dum aiunt successisse illi Nicolaum I.

7. *Martino.*
Franciscus de Rosieres sup.

8. *Sergio.*
VVilhelmus Iacobus Egmondanus apud Anonymum.

QVÆSTIO XIV.

Quod eius in Pontificatu nomen?

1. BEnedictus Tertius.
Ita quidam apud Martinum Polonum.

2. *Ioannes VII.*
Ioannes de Neuizano Syluæ Nupt. lib. 4. Fulgosus sup. Bergomēsis sup. Chronica Colon. germ. Sabellicus sup. Volaterranus, Comment. Vrbis lib. 22. Sebastianus Franck.

Franck. ſup. Primeus ſup. Marcus Guazzo ſup.

3. *Ioannes VIII.*

Platina ſup. Bocacius ſup. Balęus ſup. Ioannes Stella ſup. Cornelius Agrippa de vanit. ſcient. Valentinus Müntzer ſup. Michel Stifelius ſup. Anonymus ſup. Achilles Gaſſarus ſup.

4. *Ioannes IX.*

Philippus Mairnixius in Apiario parte 6. cap. 3.

Quod nota contra Grimmium, prouocantem omnes Bapiſtas, vt nominent vel vnum, qui eum vocet Ioannem 9.

5. *Numerum nomini non facit.*

Matthæus Palmerius in Chronico ad annum 854.

QVÆSTIO XV.

Quot annis ſedit?

Audi, mi Lector, linguas Babylonicas.

1. *Anno vno, diebus quatuor.*

Franciſcus de Roſieres ſup.

2. *Anno vno & menſe vno.*

Scriptor quidam Gallus.

3. *Annis duobus nondum elapſis.*

Albertus Crantzius ſup. *Anno ſecundo nondum expleto.* Sabellicus ſup. *Extincta altero anno, quo ſedere cœpit.*

4. *Annis duobus.*

Zvvin-

Zvvingerus ex Funccio. Valerius Anselmus Rydt sup.

5. *Annis duobus, mense vno.*

Marcus Guazzo in Chronico Italiæ.

6. *Annis duobus, mense vno, diebus quatuor.*

Ioannes de Marcouille sup. Hartmannus Schedel in Chronico ætate 6. Catalogus Pontificum præfixus Platinæ.

Et Platina ipse sup.

7. *Annis duobus, mensibus duobus.*

Ioannes Rioche in Compēdio temp. lib. 3. cap. 15.

8. *Annis duobus, mensibus tribus.*

Beroaldus in Indice Chronici. Amandus à Zierixea in Chronico. Trithemius Hirsaugiensi. Matthæus Palmerius ad annum 854.

9. *Annis duobus, mensibus 3. diebus 6.*

Antoninus sup.

10. *Annis duobus, mensibus quinque.*

Philippus Bergomensis sup. Ioannes Stella sup. Sebastianus Franck sup. Cestrensis apud Ioannem Huss lib. de Ecclesia cap. 13. Ranulphus in Polychronico.

11. *Annis duobus, mensibus quinque, diebus 4.*

Martinus Polonus sup. Franciscus Petrarcha apud VVolphium.

12. *Annis duobus, mensibus quinque, diebus 8.*

Chronica Hollandica.

13. *Annis duobus, mensibus sex.*

Achilles Gassarus sup. Itinerarium Italiæ de vrbe Senensi.

14. *Annis duobus, mensibus 7.*

Guillelmus Occam in opere 90. dierum cap. 124.

15. *Annis duobus, mensibus 7. diebus 4.*

Ioannes Laziardus in epitome Historiæ cap. 111.

16. *Annis tribus, octo mensibus.*

Henricus Steenhovvel Doctor Medicus Vlmensis in Chronico.

17. *Annis triginta duobus, & totidem diebus.*

Petrus de Mesia in sylua variarum lectionum: *dos annos, y triginta, y tantos dies.*

18. *Anni & nomen ignorantur.*

Author Compilationis Chronol.

Optime, quia monstrum hoc ignoratur.

QVÆSTIO XVI.

Quæ in Pontificatu ordinauit?

1. PRiuilegia *non posse tolli, nisi præscriptione centum annorum.*

Balæus, qui & citat Hieronymum Marium, suæ farinæ hominem. Magdeburgenses Cent. 9 cap. 10.

2. *Composuit præfationes Missarum post S. Ambrosium, iam prohibitas.*

Polonus manuscriptus in Bibliotheca Oxoniensi apud Grim.

3. *Accepta pecunia, missis legatis, Morauos à Iurisdictione Laureacensis Episcopi exemit,* ob quam causam ei supplicant, & admonent eum officij Episcopi Germani apud Illyricum in Catalogo testium.

4. *Ludovvicus II. Imperator, & Ethelvvolphus Anglus ab hac Papissa sunt coronati.*

VVolphius Lect. memorabilium Cent. 9.

In contrarium est silentium omnium vetustiorum. Vnde mera hæc sunt figmenta & mendacia.

5. *Facta eius in Ecclesia non fuerunt irrita, communi errore faciente Ius.*

Cornelius Agrippa sup.

6. *Ordinati ab ea erant iterum ordinandi.*

Nauclerus sup. ad annum 856.

QVAESTIO XVII.

A quo impraegnata?

1. A *Domestico Cardinali.*

Chronica Svveuica Germanica. Balæus sup. Ranulphus sup. *à Collega suo Cardinali.* Paulus Merula sup.

2. *A domus præfecto.*

Annales Aquitaniæ.

3. *A stabuli Pontificij præfecto.*

Baptista Mantuanus.

4. *A familiari & consueto Amasio.*

Cestrensis apud Ioan. Hus. sup. Antoninus sup. Palmerius sup. Philippus Ber-

gomensis sup. Sebastianus Franck. quod idem amasius Moguntia eam fuerit comitata Romam, eamque impraegnauerit.

5. *A seruo domestico & cubiculario.*

Platina sup. Sabellicus sup. Cœlius Rhodiginus sup. Author veteris fragmenti apud VVolphium. Petrus de Mesia sup. *Con vn è sclauo.*

At quomodo, quæ Veneri cum Amasio studuit, & infœcunda fuit, nunc prouecta ætate impraegnatur? Nugæ, Nugæ!

QVÆSTIO XVIII.

Vbi & quando peperit?

1. IN *publica processione.*

Ioannes Balæus sup. Fulgosus sup. *In sacra processione.*

2. *In processione Corporis Christi.*

Hans Sachsen in pictura: Cum nondum processio talis esset instituta. Saxonius apud Cotonum.

3. *In diebus rogationum.*

Bocacius sup. Author veteris Fragmenti apud VVolphium.

4. *In aula & solio Papali.*

Theodorus Schorenberg in Comœdia de ea.

5. *Inter ipsa sacrorum mysteria.*

Laonicus Chalcocondylas lib. 6. de rebus Turcarum: *Peperit puerum inter sacrificium in conspectu vniuersi populi.*

6. Post

6. *Post Missam celebratam.*

Bocacius sup.

7. *Penes portam Petri & Pauli.*

Sic quidam inepte ludens: *Papa peperit puerum, penes portam Petri & Pauli.* Vbi quæso hæc Romæ porta?

8. *Inter amphitheatrum Domitiani & Clementis ædem.*

Sabellicus sup.

9. *Circa Ecclesiam Clementis.*

Chronica Hollandica Lugduni impressa anno 1517.

10. *Ad Litanias profecta.*

Philippus Bergomensis, sup. Ioannes Stella sup.

11. *Dum equitaret.*

Annales Aquitaniæ. VVilhelmus Iacobus Egmondanus apud Anonymum.

12. *Dum ex templo rediret domũ in Lateranũ.*

Anonymus contra Iesuitas. At vnde?

13. *Prope templum pacis.*

Author veteris fragmenti sup. Theodoricus de Niem sup.

14. *In augusto theatro, & communi area.*

Richardus VVassenburgius apud VVolphium.

QVÆST. XIX

Num docta, & sapiens mulier ignara partus?

1. IGnara.

Ioannes Stella sup. *Præter spem doloribus circumuenta.* Philippus Bergomensis

ſup. Anonymus ſup. *Vt inexperta puella.* Iunius in animaduerſionibus in Bellarminũ, dat bellam hanc rationem: *Tum fœmina periculum partus omnium minime ſentire ſolet, cum partui eſt propinqua maxime.* Rideant obſtetrices, quæ tunc aduocari ſolent. Probat tamen Grimmius, quod conſtet multas mulieres ex partu obire. Annon hæc ratio Licentiatulo digna? Mulieres ſæpe moriuntur in partu, ergo non ſciunt tempus pariendi.

2. *Non erat ignara.*

Chronica Colonienſia, *ſed non audebat intermittere proceſſionem.*

3. *Partum manifeſtauit Diabolus.*

Flores temporum collecti à Martino Minorita, nempe dum exorcizaret dæmonem: ille reſpondet ex obſeſſo.

Papa Pater Patrum Papiſſæ pandito partum,
Et tibi tunc edam, de corpore quando recedam.

Author Compilationis Chronologicæ. Citat & eoſdem verſus VVilhelmus Baudart Prædicans Zutphanienſis in Apophthegmatibus.

Henricus Steenhovvel ſup. Hermannus Aedituus apud VVolphium.

4. *Partus manifeſtatus eſt ab Angelo ad ſalutem.*

Chronica Colonienſia Germ. Stephanus Blanck lib. Vrbis Romanæ mirabilia.

5. Pa-

5. *Pariendi tempus nondum erat.*

Marcus Guazzo in Chronico Italico.

6. *Pariendi tempus erat.*

Chronica Coloniensia.

QVÆSTIO XX.

Vbi perijt?

1. *IN via publica & processione mortua & sepulta est.*

Philippus Bergomensis sup. *Eo loci mortua ibidem sine vllo honore cum fœtu misera sepulta est.* Antoninus sup. Ioannes Stella sup. Platina sup. Balæus sup. Anonymus sup.

2. *In templo diruto S. Clementis.*

Liber Indulgentiarum apud Nigrinum Inquisitionis Papæ lib. 5. cap. 8. Sebastianus Blanck sup.

3. *Perijt ex Ianiculi monte amburbiale sacrum celebrans.*

Zvvingerus in theatro.

4. *Fuit expulsa.*

R. Abraham Zacu ex fide Grimmij de Papissa.

5. *Non perijt in via, sed superuixit retrusa in carcerem Tullianum, & perijt in insulis.*

Bocacius sup. Quo teste?

O Concordiam Historicam!

QVÆSTIO XXI.

Num damnata Papissa?

1. D*amnata est.*

VVolphius Cent. 9. depingit eam ex Mantuano in ingressu inferni primam ante alios pendentem cum suo adultero.

Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex, & Pontificalis adulter.

Ad quos versus ita VVolphius: *Fingit eam in ingressu primo loco, vt par est, Papam locari ante alios, qui ibi variè cruciãtur, pendere cũ suo adultero.* Sed tuo verbo, VVolphi, constrictus sis; *Fingit.* Ergo figmentum, & non veritas est.

2. *Non fuit damnata.*

Sebastianus Blanck sup. *Illa parturiebat infantem, & ab Angelo Dei interrogabatur, an in æternum perire mallet; an publice coram mundo confundi? Sed illa, ne in æternum pereundum foret, elegit opprobrium Confusionis.* Liber Romanarum indulgentiarum circa annum 1525. editus.

QVÆSTIO XXII.

Quid de puero?

1. P*Erijt statim in ipsa via.*

Philippus Bergomensis sup. Ioannes Stella sup. Ioannes de Marcouille sup. Sebastianus Franck sup. Anonymus sup.

2. *Perijt post carcerem in insulis.*

Bocacius sup.

3. Occi-

3. *Occisus est, matre expulsa.*

Rabbi Abraham Zacu apud Grimmium.

4. *Puer superstes fuit aliquot annis.*

Franciscus Iunius in lib. 3. Bellarmini de Pontifice, vt videlicet eam congruæ repræsentatum per statuam pueri eo loci positam fingat, alium quasi antecedentis, pressus argumento Bellarmini. Sed ô Vatem! quo quæso authore? nempe sectario Spiritu, & Cerebro.

QVÆSTIO XXIII.

An ob hoc factum sedes perforata Romæ facta, in qua Pontificum electorum sexus probatur?

1. SEedes perforata ideo facta.

Christianus Massæus in Chron. *statutum aiunt &c.* Laonicus Chalcocondylas sup. Robertus Gallus lib. Visionum apud Anonymum. Philippus Bergomensis sup. Ioannes Stella sup.

2. *Tales sedes duæ Porphyreticæ, vbi tanguntur virilia.*

Philippus Mairnixius de S. Aldegunde in Apiario parte 6. cap. 3.

3. *Non est ad hoc sedes perforata facta, sed vt in altiori statu constitutus Papa, admoneatur communis & mortalis naturæ.*

Platina Papæ Pœnitentiarius, qui sane, si vllus probam hanc turpem vidisset,

vel à testibus inquirere potuisset oculatis. Sabellicus sup. Platinæ sententiã refert, nec reprobat. Ioannes de Marcouille sup. probat & sequitur sententiam Platinæ, cum aliorum reprobatione.

4. *Ista sedes, si qua fuit, penes Authores sit fides.*

Franciscus Iunius in Bellarm. sup. Nempe hic hærebat ipsi aqua.

QVÆSTIO XXIV.

Vbi hæc sedes perforata?

1. *In porticu Lateranensis palatij.*

Robertus Gallus in libro visionum apud VVolphium. Fauchier apud Plessæũ in mysterio iniquitatis.

2. *In Capella Saluatoris.*

VVilhelmus Brevvin lib. de septem Ecclesijs principalioribus Romæ.

3. *Pro suggestu S. Ioannis in totius populi conspectu.*

Ioannes Pierius Valerianus apud VVolphium.

4. *Non est in loco publico, sed in conclaui electionis.*

Franciscus Iunius Animaduers. in lib. 3. de Pontifice Bellarmini. Alexander Chooke lib de Papissa Ioanna.

Sed quibus testibus? An eam viderũt?

QVÆSTIO XXV.

An adhuc sedis perforata vsus?

1. *Vsus adhuc est?*

Seba-

Sebastianus Franck in Chron. Petrus Mesia in Sylua: *Hodie est sedes perforata ad tangenda virilia.*

2. *Vsus eius non est,* sed cessauit.

Ita scurrilis poeta apud Henricum Stephanum præfat. in Herodotum: *Cur igitur nostro mos hic iam tempore cessat?*

Ante probet quod se quilibet esse marem.


Sacrilege mendax, quid est dicere: Quilibet? An ergo nemo castus ad sedem venit?

Idem sentit Anonymus sup. Philippus Mairnixius sup.

Audis, non dubito, Lector, & spectas Confusionem Babylonicam: Et quidem ædificatores turris Babel linguis confusi; cum alter alterum non intelligeret, & factis contrarijs impedimento sibi essent, opus cessare fecerunt. Sic Confusione tot linguarum confundantur fabulæ tantæ structores, Aduersarij, agnoscant Veritatem vna via; Mendacium vero diuersis ingredi. Atque hac ratione vides Figmentum Papissæ ipsa sui narratione fœtere, & penitus prostratum iacere.

TRACTATVS II.

IN QVO EX VERA ANNORUM Chronologia, & altissimo silentio scriptorum primæ Centuriæ ab anno 855. ad annum 955. plane hoc figmentum configitur.



ISTORIA *proprie loquendo ex etymologia nominis est earum rerum, quibus gestis interfuit is, qui eas narrat*: Nam *nomen habet* ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, *quod spectare significat. Quamuis ei descriptioni non assentiatur* A. Gellius *lib.* 5. *cap.* 18. *At hoc tractatu producuntur illi potissimum, qui oculis spectare vel cognoscere monstrosum hoc factum potuissent, vnde & vere historiam huius rei conscribere potuissent. At tam altum apud eos de Papissa est silentium, vt vno quasi ore testentur,* Benedictum III. *successisse* Leoni IV. *& quidem ijs verborũ formis, vt intelligatur immediata successio. Si hi inter eos non nouerunt Papissam, quomodo nos eam nouerimus? Cumque* Cicero *lib.* 2. *de Oratore hanc legẽ historico statuat,* Ne quid falsi dicat, ne quid veri non audeat, ne suspicio sit gratiæ vel simultatis, *conuenit ea sane historicis huius temporis, quorum tam Latini, quam Græci liberrime scripserunt. Quis enim dicat, nullum eorum ausum scribere de hoc facto, ne quidem hostes? sed lege Lector & iudica.*

CA-

CAPVT I.

Ostenditur merum figmentum esse Papissam ex impossibili authorum de hoc monstro silentio in annis ei vicinis.

AD argumentum solidum formandum Noto 1. id, quod Benedicti III. (antequem hoc monstrum sedisse fingitur) successor Nicolaus I. scribit epistola ad Michaelem Imp. de praeeminentia Ecclesiae Romanae prae Constantinopolitana, in qua schismaticus, & intrusus sedebat Photius, eiusque schisma fouebat Michael, de quotidiano confluxu Romam ad limina Apostolorum: *Tanta millia hominum protectioni ac intercessioni B. Apostolorum Principis ex omnibus finibus terrae properantium, sese quotidie conferunt &c.* Vbi pondera illa: *Tanta*, id est, tot *millia*, & illud: *quotidie conferunt*. Si quotidie tot millia Romam confluxerunt, qualem concursum factum fuisse necesse est, in solemni processione, qua hoc monstrum in publico theatro, partu pudendo innotuisse dicitur?

Tom. 3. Concil. parte 1. sect. post. pag. 438.

Noto 2. Eius seculi scriptorem nec amicum, nec inimicum Romanae Sedis, prout magni & multi tūc fuerūt, & maxime Graeci sub schismatico Photio docto & libris claro, pro certo adferri, qui vel apicem mōstri huius habeat, nec scriptorum quispiā ante Luthe-

Lutherum altius ascendit, quam ad Martinum, quadringentis annis Papissæ tempore posteriorem, & Aduersarij ad Marianum Scotum ducentis annis posteriorem. Sed præstat id ostendere testimonio Aduersariorum.

Primum est Sethi Caluisij celeberrimi apud Aduersarios Chronographi, à Scaligero celebrati. Is operis Chronologici pag. 770. postquam docuisset ex Anastasio Leoni IV. successisse anno 855. Benedictum III. minoribus characteribus adscribit quorundam opinionem de Ioanna Papissa, ac inter cetera hæc habet: *Author huius rei primus esse videtur Marianus Scotus, qui ducentis & triginta annis post rem gestam mortuus est; hunc secuti postea Sigebertus, Platina, & alij: multi è recentioribus: sed qui circa hæc tempora, quando res gesta dicitur, scripserunt, huius rei, quod sciam, nullam mentionem faciunt, nec etiam vel Græci, vel Franci, qui hostes sedi Pontificiæ breui post tempore facti, & contra Pontificem Romanum scripserunt, hoc vt insigne probrum Sedi Pontificiæ obiecerunt, nisi fortaßis hæc cura Pontificiorum è libris erasa fuerint. Statuat de hac re, quod quisque putat esse verum.* Coniectura illa de erasione è libris constare non potest; quomodo enim Latini omnes Græcorum hostium suorum Bibliothecas deprauare potuissent? cum Græci tanto magis insa-

Vtor editione tertia.

insanijssent in Latinos, nec vllum eius rei vestigium reperire est.

Secundus est Christophorus Besoldus V. I. Doctor in synopsi historiarum pag. 357. & seqq. vbi relatis authoribus in v-tramque partem, eadem illa verba ex Setho Caluisio recitat & concludit.

Tertius est Aduersariorum vnus, sed Anonymus, maledicus in Romanos Pontifices, editus anno 1588. hæc eius sunt verba: *Nullus illius temporis clarus seu idoneus scriptor illius Thaidis vllam mentionem fecit.*

Quartus est qui Chronica Carionis aucta edidit Basileæ: *Hoc non prætermittam, huius rei à nullo veterum scriptorum mentionem vnquam factam fuisse, ex his, qui ante Martinū Polonum fuerunt; Fuerunt autem, & adhuc eorum scripta extant quamplurima.* Ex his elicitur hoc argumentum: Si monstrosum tale factum Romæ in theatro orbis, in confluxu tot millium ex orbe hominum, contigisset, non potuisset eo seculo, siue ab amicis, siue ab hostibus silentio ita tegi, quin vlli huius inauditi facti mentionem fecissent.

Verum (etiam Aduersariorum testimonio) nullus eius seculi scriptor mentionem eius fecit.

Ergo monstrosum tale factum non contigit, adeoque fabulosum est totum.

Noto 3. Cum fumus tantus de hoc monstro,

monstro, ob recentiores scriptores multis seculis recentiores, nunc excitetur, & quidem ex incerta relatione; quid ex oculari inspectione tot millium hominum Romã ex toto orbe confluentium, factum fuisset? quam res hæc inaudita de Pontifice pariente in publica processione diuulgata esset? Quid enim fama maxime orta ex oculari inspectione aliquot millium ex toto orbe? Vide famam descriptam apud Virgilium:

Lib. 4. Æneidos.

Fama malum quo non aliud velocius vllum.
Mobilitate viget, vireſque adquirit eundo.
Monſtrum horrendum ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi, ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, &c.

Lib. 12. Metamor.

Et apud Ouidium ita describitur fama:

——— tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, vocesque refert; iteratque quod audit,
Hi narrata ferunt alio, menſuraque ficti
Creſcit; & auditis aliquid nouus adijcit author.

Cui sane communi solum sensu donato, & sine affectu iudicanti discursus hic non sit manifestus?

CAPVT II.

Ex vera Chronologia annorum Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. & Adriani II. euincitur ſuppoſititium eſſe hoc monſtrum.

Ponam

POnam hanc Chronographiam non assertione Card. Baronij, aut alterius Historici Catholici, sed eius quem Aduersarij clarissimum habent historicum, Sethi Caluisij, cuius encomia à Iosepho hæc accipe Scaligero: *Deus Opt. Max. hominem è medijs inuidiæ flammis, ex ipso obtrectationum strepitu excitauit, probissimum, doctissimum accuratissimum Sethum Caluisium, virum priscæ illius Germanorum ingenuitatis, & fidei. Is eximium Chronicon instruxit, quod non solum superiorum Chronologiarum luminibus obstruit, sed & quod eiusmodi est, vt præter illud nullum vere Chronicon dici possit. Ille primus inter Chronologos nugari desijt. Nullum anachronismum in illo diuino temporum sacrario reperias, nullum delirium, nullam fanaticam epochen γεοχγίας, Iobeleorum, initij rerum, nullos vibices, quos imperitissima Catharorum, & Prophetarum natio miseræ Chronologiæ inussit.* Quantus hic in Aduersariorum castris? Cuius & *diuinum temporum sacrarium.*

Præfat. in Can. Isagogicor.

Multus multū scribit.

Iam accipe annorum computum, quibus Papissa sedisse fingitur.

Chronologia Caluisij non patitur Papissam.

Anno Christi 847.

Sergius Papa cum sedisset annos tres, & mensem vnum, obijt die 12. Aprilis, succedit ipsi eodem die Leo quartus huius nominis, patria Romanus, qui sedit annos octo, menses tres.

Anno

Anno 855.

Leo Papa cum sedisset annos octo, & menses tres, moritur die decima septima Iulij. Eligitur in ipsius locum Benedictus patria Romanus. (ergo non Papissa.)

Anno 858.

Benedictus Papa cum sedisset annos duos, menses sex, moritur 16. die Februarij; succedit ipsi Nicolaus, qui consecratur die 24. Aprilis, seditque annis nouem, & mensibus quatuor.

Anno 867.

Papa Nicolaus cum sedisset annos nouem, & menses sex, moritur die 13. Decembris, succedit statim Hadrianus secundus, qui sedit annos quinque.

Ita Setus Caluisius, cum quo eiusdem tunc sectæ Lutheranæ Doctor concordat Christophorus Besoldus in Catal. Pontificum.

CAPVT III.

Ostenditur veritas huius Chronologiæ.

SVppuratio hæc annorum Sethi Caluisij vera est, & clarissimis rationibus docetur, præter ea, quæ post dicentur.

1. Ex Synodo Trecensi habita sub Nicolao I. de qua hæc Fredoardus: *Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo septimo Synodus prouinciarum Rhemensium, Rhotomagensium, Turonensium, Senonum, Burdegalensium, atque Bituricensium apud Trecas 8.* *Lib. 3. hist. Rhemensis cap. 17.*

Calen-

Calendas Nouembris conuenit. Et in fine capitis de eodem anno agens: *Nicolaus Papa Idibus proxime præcedentis mensis Decembris obijt, cui Adrianus Papa electione Clericorum, & consensu Ludovvici Imperatoris in Pontificatu successit.*

Vnde cum Synodus hæc mitteret epistolam Synodalem ad Nicolaum I. datam 4. Nouembris, reddita est successori eius Hadriano II. qui & Synodi Patribus respōdit 4. nonas Februarij, indict. 1. estque inter epistolas eius nona; initium est: *Legationis vestræ scripta beatæ memoriæ decessori meo Papæ Nicolao missa, nos iam in sede illius diuina dignatione locati suscepimus.* Certū ergo hinc est Papam Nicolaum I. Magnum dictum, obijsse anno 867. & Hadrianum II. ei eodem anno successisse.

2. Sethus Caluisius ad annum 858. qui fuit Nicolai primus, notat hæc: *Ansgarius Episcopus Hamburgensis, impetrat à Pontifice Nicolao, vt Bremensis Episcopatus, qui antea ad Coloniensem pertinebat, Episcopatui Hamburgensi iungeretur, plurimum reclamante Coloniensi.* Adam. Hæc vera esse, & hoc anno facta, probatur ipsis Adami verbis: *Tandem Orthodoxus Cæsar Ludovvicus compositis hinc inde contradicentium voluntatibus præcipue Gunthariij Coloniensis Archiepiscopi, cuius suffraganea prius erat Brema, super his Romam direxit ad* san-

Vixit hic Adam Bremensis an. 1070. Lib. 1. Chron. cap. 27.

sanctissimum Nicolaum Papam. Ille quod necessitas Ecclesiastica, & quod Patrum Concilijs rationabiliter fieri posse comprobatum est, facile consensit. Ergo Bremensem, & Hamburgensem Episcopatum authoritate Apostolica copulari, & deinceps sanxit pro vno haberi. Cuius rei priuilegia diligenter adseruantur in Bremensi Ecclesia. Priuilegiũ Papæ notat annũ Domini D.CCC.LVIII. qui est ab ordinatione Archiepiscopi XXIX. Ita ille. Ergo certissimum est ex authentico hoc documento Nicolaum I. anno 858. sedisse Pontificem.

Atque hinc euidenter innotescit impostura illius, qui primus Marianum Scotum Papissæ mentione deprauauit; Cum enim Marianus deprauatus adscribat Leoni IV. octo annos & recte, Benedicto III. annos duos, menses sex & dies 6. cum Anastasio & Adone, & duo anni Papissæ dentur; fit vt anni Nicolai I. duobus annis serius apud ipsum incipiant, nempe 860. quæ manifesta est deprauatio veræ Chronol. vt iam patet.

lib.3. hist. cap.2. 3. Leonem electum an. 847. quod est caput huius Chronologiæ, aperte docetur ex actis Synodi Parisiensis apud Frodoardũ; refert enim in causa Ebbonis olim Archiepiscopi Rhemẽsis, sed depositi, reposito in eius locum Hincmaro, anno 847. indictam Synodum Treuerensem à Sergio II. Sed cũ Pontifex per legatos Treueris non compareret,

retet, conuenerũt Episcopi Galliæ Lutetiæ: & Ebbonem vsq; ad sententiam definitiuã quiescere iusserunt. Pergit iam Frodoardus: *Et postquam Episcopi, & Rex suis litteris Leonem Papam de his omnibus quæ gesta fuerant, certiorẽ fecissent, & hic ordinationem Hincmari, qui suam Confeßionem Romam miserat, approbasset, eundemq; pallio donasset, ipsemet Ebbo adhuc quinque annis vsque ad annũ Incarnationis Domini octingentesimum quinquagesimum primũ vixit.* Ergo hinc certissimo constat Leonẽ electũ fuisse, & sedisse anno 847. quo & Sergius mortuus est, quod ipsum vt certa basis statuitur huius supputationis, sed & postea amplius ostendetur. Ex hac Chronologia adeo firma, sumitur hoc argumentum. Ab anno 847. quo sedere cœpit Leo IV. ad annum 867. quo defunctus est Nicolaus I. saluis annis Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. impossibile est inuenire biennium pro Papissa. Ergo res tota est fictitia.

Antecedens ostenditur: Nam accipe hos viginti annos ab an. 847. quo electus Leo IV. vsque ad annum 867. quo mortuus est Nicolaus I. hos complet sessio horum Pontificum. Nam:

Leo sedit annis 8.——— mensibus 3.
Benedictus annis 2.——— mensibus sex.
Nicolaus annis 9.——— mensibus sex.

Ergo habes hic viginti annos, menses

tres. Vbi iam ſaluo hoc, & ſatis firmato computo vel vnum menſem inuenies pro Papiſſa? Erubeſcant, qui ita peruerſis affectibus indulgent, vt clauſis oculis nolint Veritatis ſolem intueri, quem ipſimet Aduerſarij noſtri Sethus Caluiſius, & Beſoldus digito demonſtrant.

Demonſtratio hæc certiſſima eſt.

CAPVT IV.

Impoßibilitas huius monſtri docetur ex annorum Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani ſupputatione, qui temporibus Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. & Hadriani II. vixit, cum Chronotaxi Imperij Michaelis Imperatoris Conſtantinopolitani.

VT hanc Chronographiam ſtabiliam Noto I. Anno ſexto Imperij Michaelis Ignatium inſtitutum Patriarcham Conſtantinop. Conſtat id ex actis magni illius, & eo tempore celebris Ioannicij, quem laudat Theodorus Studita. Author eius vitæ hæc habet: *Quinto anno Imperij Michaelis, quo Eccleſiam regebat Conſtantinopolitanam Methodius, cum magni Ioannicij præſciuiſſet exceſſum ad Dominum propinquare, ad eum venit, &c. Subiunxit Ioannicius, quod neq; poſt multũ tempus poſt ſuum diſceſſum viueret Methodius. Qua quidem in re non fuit falſus; tertio autem die poſtquã hoc dixiſſet (erat vero tertius Nouembris*

dies) Ioannicius quidem ſpiritu migrat ad eum quem diligit , corpus autem deponitur in loculo. Methodius autem, qui refulſit inter Patriarchas, ipſe quoque octauo menſe poſt illius deceſſum exceßit ex hac vita quartodecimo Iunij. Ergo anno ſexto Michaelis Imp. obijt Methodius.

De Ignatij ſubſtitutione, ita Nicetas Dauid huius temporis ſcriptor : *Cum Eccleſiam Dei Methodius optime, ſanctißimeque per quadriennium rexiſſet, ad Deum ſempiterna petiturus pace abijt. Multis vero tum ad Eccleſiæ adminiſtrationem deſignatis, alijſque alias ob cauſas voto fruſtratis, vti deſtinata Dei ſententia ſtaret: Ignatius ſanctißimus Presbyter, cum per multos annos ſacerdotij muneribus magna cum laude perfunctus eſſet, ac omnium ore celebraretur, quantumuis dignitatis magitudinem refugiens, vi tamen ſancti Spiritus, & Antiſtitum authoritate & ſententia, honore ſacro dignißimus iudicatus, in Imperantis vrbis ſacra ſede collocatur , lucernaque candelabro imponitur.* *In vita Ignatij præfixa Græce & Latine Octauæ Synodo.*

Noto 2. Cum Ignatius annos vndecim, & aliquot menſes ſediſſet, throno deiectus eſt, Photio ſchiſmatico ſubſtituto, factumque id anno primo Nicolai I. Duo hic dicuntur. 1. Ignatium duodecim prope annos ſediſſe ante eiectionem ſuam. Conſtat id ex epiſt. prima Nicolai I. *Ignatium virum ſenem & ſanctum, ac per duodecim annos innocenter Eccleſiam Dei regentem damnauerunt;*

quos tamen non complete accipiendos, docet idem Nicolaus 1. epist. 5. ad Imperatorem, vbi ait, eum *per duodecim fere annos sacerdotium agere.* Ita & Nicetas Dauid; semel habet *annos vndecim.* Et rursum: *annos prope duodecim.* 2. dicitur hanc Ignatij deiectionem concurrisse cum initio Pontificatus Nicolai I. quod ostenditur ex epist. 9. Nicolai ad Michaelem Imp. *Quoniam & præfati decessores nostri Leo scilicet, & Benedictus beatæ recordationis Pontifices si tale quid in diebus eorum Gregorius* (Syracusanus Episcopus, qui Photium schismaticum consecrauit) *vel Complices eius patrassent, videlicet, vt in Ignatium manus suas iniecissent, aut aduersus eũ ipsis sanctis Præsulibus inconsultis linguas suas taliter exacuissent, profecto eos tanquam ministros inquietudinis sine quauis retardatione protinus condemnassent, & tantum piaculum impietatis eorum destruere ardentissime studuissent. Sed quia illi diuina vocatione ab hac conualle lacrymarum subducti sunt, hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successimus in honore, in cuiusque tempore crudelitas, quæ in diebus eorum cœpit radices mittere, consummata perpatuit.* Factam autem depositionem anno 858. nempe eodem, quo Nicolaus electus est, iam patebit.

In vita Ignatij.

Nota ergo inter Leonem & Benedictũ non fuit Papissa.

Noto 3. Ignatium restitutum, à Basilio Im-

Imperatore eodem anno, quo Michaelem Imperatorem interfecit, & Nicolaus Papa electus est, Adriano in eius locum suffecto, *post nouẽnale exilium*, id est, anno 867. In hac Notatione, quod ad mortem Nicolai, & substitutionem Adriani II. pertinet anno 867. patet ex illis quæ ex Frodoardo cap. 3. de Synodo Parisiensi dicta sunt.

2. Quod eodem anno & Michael occisus, & Basilius ei in Imperio successerit, & Photius deiectus, & Ignatius sit restitutus ostendit Nicetas Dauid; cum enim retulisset necem Michaelis, & Basilium initio Indictionis primæ IX. Kal. Octobris Imperatorem salutatum, hæc subijcit: *Postero die, quam renuntiatus erat Imperator, Photium de throno deturbatum in Cœnobium Scepen appellatum eiecit, postridieque ad sanctißimum Patriarcham* (Ignatium) *ex insula Constantinopolim, ea qua par erat, honoris pompa, reducendum mittit. Tunc Basilius Imperator adductum in Magnaure palatium Ignatium silentio indicto multis laudibus cohonestauit. Dies erat Dominica, tertia & vigesima Nouembris, quo etiam anni tempore prius in exilium pulsus erat, qui Dei præsidio, & clementia fretus* NOVENNALEM, *ac perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, Ecclesiæ suæ throno restituitur.*

Scriptor huius tẽporis in vita Ignatij.

Sacer Ignatius throno suo recepto precatur

Imperatorem, vt Oecumenicam Synodum cogat, qua omnia Ecclesiæ vulnera sanari arbitrabatur. Extemplo igitur Ioannes Bergæ Episcopus, Ignatij in omnes casus & ærumnas socius; ex Photij vero factione Petrus Sardicensis Metropolita ad Nicolaum Pontificem legati mittuntur. Sed Petrus miser naufragio periit; Ioannes vero cum Basilio incolumis euasit, & Nicolao iam vita functo, Hadrianum Papam inuenit.

Idem refert Anastasius in vita Hadriani II. nempe legatos hos de restitutione Ignatij, & depositione Photij Romam ad Nicolaum missos, sed mortuo Nicolao Hadrianum conuenisse. Synodus autem postulata, fuit Octaua Synodus generalis, coacta Indictione tertia, anno tertio Basilij, vt habent Actionum initia.

Primus ergo annus Imperij Basilij indictione prima fuit primus annus Hadriani II. qui & epistola ad Ludovvicum Indict. 1. data incipit: *Inter exordia Pontificatus mei.* Ex qua verissima Chronologia sequitur anno primo Nicolai I. Ignatium deiectum, & exilium egisse nouem annis, vsque ad annum primum Hadriani, quo restitutus est. Cum ergo Nicolaus I. solum annos nouem sederit, & ipse Nicolaus supra testetur, tyrannicam hanc violentiam in Ignatium non fuisse factam tempore prædecessorũ suorum Leonis & Benedicti, sed sui Ponti-

ficatus

ficatus tempore, aperte constat, nouem annos Pontificatus Nicolai I. fuisse nouennale tempus exilij Ignatij, adeoque primo anno Nicolai I. è sede eiectum in exilium.

Noto 4. Cum Ignatius electus Patriarcha vndecim annos, & aliquot menses sederit, & nouem annis exul fuerit, vsque dum anno 867. (qui Hadriani primus fuit) restituitur, necessario incidere electionem eius in annum 847. qui fuit primus Leonis, & Michaelis sextus, vti & post Baronium sentit Sethus Caluisius. Et sane sub Leone electum patet ex epist. 5. Nicolai I. ad Michaelem Imperat. vbi multa de laudibus Ignatij per duodecim fere annos Patriarchæ: *Nos de nobilissimo viro Ignatio Patriarcha, & illud comperimus, quod non solũ genere claruit, verum etiam à primæuo suæ ætatis, per singulos Ecclesiasticos gradus ascendens, ex monastica vita, omni Ecclesiastico cœtu consentiente (sicut in apicibus, quos sanctissimo Leoni Præsuli, prædecessori nostro destinaueratis comperimus) Episcopatus culmen promeruit.* Demonstratio nostra ex his Notatis certissima iam est. *Tom. 3. Concil. parte 1. sect. 2. pag. 422.*

Cum ab anno 847. quo electus Ignatius, ad annum 867. quo restitutus, sint viginti anni cum aliquot mensibus, nempe semi duodecim Patriarchatus, nouem exilij, & hos expleant Leo IV. anno 847. electus, & nõ ante, Benedictus III. & Nicolaus

I. qui anno 867. obijt, impossibile est pro Papissa duos annos inueniri, & aliquot menses, sub hac Ignatij siue regiminis, siue exilij tempore. Quæ sane demonstratio ex dictis & notatis iam euidenter patet. Iudicet, qui vel micam rationis habet.

CAPVT V.

Ex actis Hincmari Episcopi Rhemensis, & Nicolai I. disijcitur figmentum hoc de Papissa.

EBbo Rhemensis Archiepiscopus sub Ludovvico sede priuatus, operaq; Lotharij Imperatoris per Synodum comprouincialium Episcoporum restitutus, complures in eadem Ecclesia Clericos ordinauerat. Verũ dum Caroli Regis auxilio Galliarum Episcopi eundem rursum sede Rhemensi amouissent, atque Hincmarum substiutissent, mortuus est Ebbo anno Domini 851. Hincmarus sede pacifice gaudens, quos Ebbo post primam amotionem ordinauerat, recipere noluit, ac in eum finem Suessionense Concilium celebrari curauit, anno 853 Indict. 1 5. Kal. Maij, vt habet Nicolaus litteris ad Hincmarum datis, in qua Synodo Clericos ab Ebbone ordinatos damnauit, declarauitq; Ebbonem iuste deiectum, seque ei legitime substitutum.

Est inter appendices quinta.

Cum vero depositi interposita appellatione ad Sedem Apostolicam confugissent

Hinc-

Hincmarus Synodum hanc à Leone IV. Benedicto III. & Nicolao I. confirmari enixe petijt; ſed Nicolaus epiſt. 46. ad Epiſcopos Galliæ rurſum apud vrbem Sueſſionicam congregatos, reiecit. rem ſic narrat ipſe Nicolaus I. *Frater & Coepiſcopus noſter Hincmarus, de memoratis clericis Vulfado, ſcilicet, & collegis eius* (ante in Concilio ab Hincmaro damnatis) *quod ſibi viſum eſt, conſummato, mox prædeceſſori meo beatæ recordationis Leoni Præſuli, non ſemel litteras ſupplices miſit, quatenus idem Concilium approbans authoritate Apoſtolica roboraret. Quod ille non ſolum minime annuit, verum etiam agere ſollicite renuit, præſertim, cum ibidem Sedis Apoſtolicæ Legati præſentes non fuerint. Poſtremo eo, quod hi, quos ille authoritate Synodi affirmabat depoſitos, per proprias litteras ad Sedem Apoſtolicam appellauerint. Interea voti effectu fruſtrato Apoſtolicæ Sedis Pontifex Leo, qui fratris Hincmari propoſitum nouerat, ab hac luce ſubtractus eſt, cumque ſanctæ memoriæ Benedictus vir Apoſtolicus ei ſucceßiſſet in ordine Pontificatus, rurſus Reuerendus Hincmarus arma præparat, & eidem ſummo Præſuli, tamquam ſuarum inexperto verſutiarum latenter ſubripit, & in ipſo Conſecrationis eius initio ſuadet, vt Concilium quidem ad vnius hominis votum congregatum firmaret, &c.*

Quã clare docet, Leoni IV. mortuo Benedictũ III. ſucceſſiſſe? & quidem teſtis oculatus?

Eadem

Eadem plane, & eisdem verbis recitat idem Nicolaus epist. 47. ad ipsum Hincmarum, vti & eisdem verbis refert Frodoardus, vt postea videbimus.

Hinc duplex contra hoc monstrum sumitur argumentum, primum est. Hincmarus sollicitus de roborando Concilio Suessionensi sæpius instat apud Leonem, & reiectus est, eoque mortuo statim in ipso exordio consecrationis ad Benedictum III. recurrit, vt & eo mortuo ad Nicolaum I. vbi, quæso, vna apicula de Ioanna Papissa, inter Leonem & Benedictum media ab Hincmaro sollicitata? Vbi vel de eius approbatione vel reprobatione eius Synodi, vel rescissione actorũ eius vel vnum Iota? & qui trium Pontificum tantopere expetebat vota, non huius Papissæ, intermediæ, vt ponitur, votum instanter requisiuit?

Alterum est, Nicolaus primus immediatus Benedicti successor, adeoque vir huius temporis expresse ait, *Leoni mortuo Benedictũ in ordine Pontificatus successisse.* Quod sane grauissimum mendacium fuisset, si Papissa ordinem turbasset.

Summa authenticum det testimonium, qui quod vidit testatur.

(·:·)

CA-

CAPVT VI.

Diſijcitur hoc idem monſtrum ex actis Nicolai I. Michaelis Imperatoris Orientalis, & Photij, Pſeudopatriarchæ Conſtantinop.

CVm circa annum 858. in exordio Pontificatus Nicolai Photius occupaſſet locum Ignatij Patriarchæ Conſtantinop. ope Imperatoris Michaelis, idque reprobaret Nicolaus, & damnaret, furijs quaſi acti Michael & Photius in Nicolaum, eiuſque ſedem impetuoſe incurrerunt, in eamque calumniarũ omne genus euomuerunt: Cum vero inſignis calumniandi materia fuiſſet Papiſſa, quo monſtro mire defœdata fuiſſet ſedes Romana, nulla tamen apicula de ea inuenitur in actis eorum. Sed pauca è multis prælibabimus.

1. Epiſtola octaua, ad Michaelem, apologetica pro præeminentia Romanæ ſedis, vocat Epiſtolam Michaelis *totam blaſphemijs, totam iniurijs plenam.*

Rurſum: *Quæ ad Eccleſiæ Romanæ iniuriam, quæ ad ipſius priuilegiorum imminutionem, quæ ad ſedis Apoſtolicæ Præſulum derogationẽ ſcripſiſti, quanta poſſumus conſtantia retundemus, & nullis terroribus, nec vllis detractionibus veſtris repreßi, quanta poſſumus virtute deſtruere, vtpote veritatis inimica ſtudebimus.* Vbi quæſo vnus apex de Papiſſa velut opportuna calumniãdi

mate-

materia? Iudicent Aduersarij ex suo affectu in Sedem Romanam, an tanta Sedi Romæ paucis ante annis inusta macula potuisset à Michaele Imp. subticeri?

Et tamen eadem epistola scribit: *Epistolæ diuersæ sanctißimis Leoni scilicet, & Benedicto decessoribus nostris missæ testantur &c.* Vbi epistolæ ad intermediam Ioannam Anglicam? Verum ad Chimeram non scribuntur litteræ.

2. Epistola 9. ad eundem Michaelem agens de excommunicato Gregorio Syracusano Episcopo, qui Photium Pseudopatriarcham ordinauerat, ait: *Quoniam & præfati decessores nostri Leo scilicet & Benedictus beatæ recordationis Pontifices &c.* Vbi manet intermedia inter hos duos Papissa, cum hic enumeret immediatos antecessores, sub quibus Ignatius sederat? Ib. paulo ante: *Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo, ac Benedictus, Apostolicæ Sedis moderamina seruantes, noluerũt sic vnã partem audire, vt alteri parti nihil penitus reseruarent.* Vbi rursum intermedium confictum monstrum?

Hæc scribuntur ad hostẽ, qui & magnis calumnijs respondet.

In eadem epistola exaggerat scelera Ecclesiæ Constantinop. *Quid opus est multa prosequi, cum hodieq; penes Ecclesiã Constantinopolitanam impietas ipsa vigeat, præuaricatio regnet, schismata multiplicentur?* Auderetne id Nicolaus, sibi & suæ sedi male conscius?

3. Epi-

3. Epistola decima respondet alteri epistolæ Michaelis, *quæ tantis erat verbis contumeliosis, immo blasphemijs resperfa, vt scriptor eius nonnisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, & dictatoris labia, pro dictionibus venena fudisse videantur.* Vbi vel minimum Iota de hoc fœdo monstro?

4. Epistola decima ad Photium exprobrat ipsi crimina.

1. *Innumerabilium reperiris prauaricationum obnoxius.*

2. *More furis & latronis in ouile Domini irrumpens, violentus, rapax, & scelestus adulter.*

3. *Episcopos, qui tibi tanquã adultero, & peruasori, communicare noluerunt, exilio religasti.*

4. *Si te homicidam dicimus, non mentimur.*

5. *Si viperam dicimus, non fallimur.*

6. *Si te Iudæis compareniius, fortasse nec modicum à vero discedimus.*

7. *Fuge igitur principatũ nequiter vsurpatũ.*

An potuisset Photius inter alias calumnias, quas ibi recenset & refutat Nicolaus hoc summum dedecus, idque inauditum de Papissa iam adhuc recens dissimulare?

5. Nota & Photij scientiam; de eo sic Nicetas Dauid, dum eum nominat *Hominẽ sane minime obscurum & ignobilem, sed claris, & illustribus oriundum natalibus, rerumque ciuilium, & politicarum vsu, prudentia scientiaque clarissimum; Grammaticæ enim litteraturæ & car-*

& carminis pangendi, dicendique laude, quin & Philosophiæ, & Medicinæ, & omnium prope liberalium disciplinarum externarum studio, cognitioneque tantopere florebat, vt æui sui facile princeps haberetur, immo & cum veteribus iam certare posset. Et quod præ cunctis gloriæ laudisque cupido, quia incensus totas noctes, vt lectioni assidue vacaret, ducebat insomnes.

Extat eius Nomocanon, in quem commentaria scripsit Balsamon, extat & magna Bibliotheca. Ille ne tantus sedis Romanæ hostis, in tam grandi schismate, tot probris exceptus à Nicolao I. & excommunicatus, hoc pudendum Papæ monstrum non exprobrasset? Clamet Caluinista Grim. Nicolaum præuenire voluisse Photium, & Michaelem, etsi sedes sua probro hoc Papissæ minime careret. At 1. probandum id illi erat. 2. annon subsequi potuissent, & insigni talionis lege regerere? potuissent eo deprimere deprædicatam à Nicolao I. præeminentiam Romanæ Sedis tanto scelere infamis. At nullus eius rei apex, aut vestigium extat.

CAPVT VII.

Configitur idem monstrum ex Synodo Tullensi, & Romana sub Nicolao I.

QVod primo *Tullensem Synodum* spectat, habita est ea in Gallia anno 859. sub

ſub Nicolao I. Conuenerunt duodecim Prouinciarum Epiſcopi, qui cum triginta octo numerati eſſent, additur: *Et multi alij, qui ad Concilium in ſuburbio Tullenſi conueniunt*, ſcribunt hi epiſtolam Synodalem ad Epiſcopos Britanniæ, in qua, quis Leonis IV. ſucceſſor fuerit, his verbis declarant: *De qua reuerentia ſalubriter à vobis, & à gente veſtra, Metropolitano impendenda, noſtro nomine plura, & Reuerendiſsimi Papæ Leonis, & Succeſſoris eius Benedicti ſcripta docuerunt, & refragantibus Apoſtolica authoritate dignam excommunicationis protulerunt ſententiam.* *Vide Tom. 3. Conciliorum parte 2. pag. 552.*

Aderat & in hac Synodo Hincmarus Rhemenſis Metropolitanus, non adeo eo temporis apud Sedem Apoſtolicam ob depoſitionem Ebbonis, cui viuo ſubrogatus fuerat, commodi nominis. Aderant & Guntharius Colonienſis, & Theutgardus Treuerorum Archiepiſcopus paulò poſt à Nicolao excommunicati, & ſchiſmatici. Qui ſane, propudium hoc Sedis Apoſtolicæ non obſcuraſſent. Hi igitur horum temporum Epiſcopi, qui de monſtro hoc teſtari potuiſſent, faciunt Benedictum III. Succeſſorem Leonis Quarti.

Quod ſecundo ad *ſynodum Romanam* attinet, habita ea fuit Romæ in æde Conſtantiniana, conuocatis multarum prouin-

ciarum Occidentalium Episcopis contra Photium, eiusq; Complicem, Gregorium, Syrdeusanum anno 863. quam refert ipse Nicolaus epist. 7. & decima ad Episcopos Orientales subiectos Constantinopolitanæ Sedi, & refertur act. 7. octauæ Synodi Oecumenicæ. Designat in ea Synodo cap. 6. Nicolaus, quinam immediate eum in Pontificatu præcesserint: *Decessores mei beatæ memoriæ Leo, & Benedictus Sedis Apostolicæ moderamina seruantes, noluerunt sic vnam partem audire, vt aliæ parti nihil penitus reseruarent.*

Rursum paulo post eodem cap. *Quoniam & præfati Decessores mei Leo scilicet & Benedictus beatæ recordationis pontifices si tale quid diebus eorum Gregorius, vel complices eius patrassent &c.*

Hæc sane sunt oculata eius testimonia, qui tunc Romæ vixerat, & vtrumque Pontificem rite nouerat; scribit hic insuper ad Græcos Sedis Romanæ infensissimos tunc hostes, qui præter alias calumnias, quas ordine decem videre est, Tom. 3. Concil. hanc maxime de Papissa iniuriosam regessissent, & ad nauseam inclamassent. At vbi minimum eius vestigium? Valeant ergo hæc figmenta.

Vide 3. to. Conc. part. 7. pag. 543 post epistol. Nicolai I.

CA-

CAPVT VIII.

Adfertur Oculati testis Anastasij Bibliothecarij testimonium de immediata successione Benedicti III. in locum Leonis IV.

VIxit hic *Anastasius* hoc tempore, quo Papissa fingitur, sed maxime celebris fuit sub Hadriano II. & Ioanne VIII. diuersisque legationibus notus. De eo Platina in Ioanne VIII. (quem nonum dicit:) *Anastasius in pretio erat, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, vir sane ita vtraq; lingua doctus, vt è Græco in Latinum septimam vniuersalem Synodum, & Hierarchiam Dionysij, & Vitas multorum Sanctorum Caroli gratia in Latinum; eleganter, & docte transtulerit.*

Scripsit hic Anastasius vitas Summorum Pontificum, & vel in Nicolao I. finit, vt habet M.S. Onuphrij, & impressus Codex; vel in Hadriano II. & Stephano VI. vt ex suo M.S. & diuersis pr[o]bat Baronius. *In Annal. ad annum 885. nu. 7.*

Hic ergo Anastasius, [q]ui Romæ diuersorum Pontificum corona[ti]onem præsens videre poterat, non solum de Papissa silet, verum & ea, quæ plane repugnant, habet. Habuit Onuphrius huius Anastasij Manuscriptum exemplar, vt testatur in notis ad Platinam in vita Nicolai, & ex eo hæc citat. *Sanctissimus Leo papa Quartus obdormiuit in Domino XVI. Kalend. Augusti, sepultus*

ad S. Petrum. Cessauit Episcopatus dies quindecim. Quo mortuo mox omnis Clerus Romanæ Sedis, vniuersi proceres, cunctusq; populus, ac Senatus congregati sunt, Domini clementiam exorantes, vt beatissimum illis in omnibus demonstrare dignaretur Pastorem, qui Apostolatus culmen regere valuisset tranquille. Qui diuinitus, æthereoq; lumine inflammati, vno consensu, vno conamine Benedictum, pro tantis, quibus pollebat, sacris operibus Pontificem promulgauerunt erigere &c. Hic omni exutus pudore Grimmius Caluinista Onuphrium mendacem appellat, & falsi criminis reum facit, in eo, quod Anastasio supponat ea verba: *Cessauit Episcopatus dies quindecim.* Cum ea verba in primo exemplari impresso Moguntiæ anno 1602. non inueniantur.

Mendax eris Grimmi, donec Onuphrium mendacem in hoc ostendas. Vnde Nota, Onuphrium notas suas in Platinam scripsisse anno 1567. vsumq; Codice Manuscripto eius, vt dictũ. Editus est autẽ Anastasius ann. 1602. ex vno exemplari, quod ẽ sua Bibliotheca Moguntiam transmisit Mar. Velserus Augustanus, adiũctis varijs lectionib. ex M.S. Codice Vaticano. Sequiturne hinc; Codex Velseri, siue typographi Albini, qui primo typis euulgauit Anastasiũ ann. 1602. non habet, *cessasse sedem quindecim diebus,* Ergo alius Codex M.S. Onuphrij non habuit.

Vt patet ex dedicatione.

O stu-

O stupidum! O impudentem blateronem! E re fuisset probare, Chronicon M.S. quo Onuphrius est vsus, non illud habuisse, adeoque falso citari. Nec solus Onuphrius id legit, legit & ante impressionem Card. Bellarminus in suo M.S. Codice, quem habuisse, & diligenter legisse patet ex accurato Iudicio de scriptoribus Ecclesiasticis. Legit & Lutetiæ Parisiorum ante impressionē Genebrardus in Chronologia. Legit Coccius & alij. (Excipio tamen Baronium, qui se Chronicon M.S. Anastasij à Card. Sirleto accepisse scribit in notis Martyrologij die 22. Augusti in Timotheo, qui illud de interstitio 15. dierum omittit) Ergo omnes illi mendaces, & Grimmius verax? Non satis est mirari hominis impudentiam, qui altero fere verbo Illustres authores magna leuitate mendaces exclamat.

Sed stemus solum exemplari impresso, & seponantur M.S. an non euincitur ex eo falsitas huius monstr?

1. In Benedicto sic loquitur: *Leo quidem, vbi hac luce subtractus Præsul occubuit, Mox omnis Clerus istius Romanæ protectæ sedis, vniuersiq; proceres, cunctusq; senatus, ac populus cōgregati sunt, Domini clementiam exorantes, vt beatificū illis omnibus demonstrare dignaretur Pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquille. Diuinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati vno* *con-* *Pag. 294.* *Nota Mox!* *Nota tunc* *Ergo primo scrutinio.*

consensu, vnoque conamine Benedictum pro tantis quibus pollebat sacris operibus, Pôtificem promulgauerunt eligere. Ilico vero alacri vniuersa studio plebs illum ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranense perducentes Pontificali solio, vt mos est Pontificũ canaq; consuetudo demonstrat, posuerũt

Nota rursum Ilico. Ergo non post biennium à morte Leonis IV.

In his verbis Nota 1. subtracto Leone Mox consultationem Cleri fuisse de nouo eligendo Præsule.

2. In hac Consultatione concorditer electum Benedictum, Ergo immediate Leoni successisse, & quidẽ primo de electione scrutinio Benedictum, nimis est apertum. Notetur illud *Mox*. Si ergo primo post mortem Leonis scrutinio eligitur Benedictus, vbi locus electæ Papissæ? si Benedictus post mortẽ Leonis *Mox* est electus, & *Ilico* perductus ad Pontificale solium, vbi biennium & quinq; menses pro monstro hoc? Prodeat quisquam qui nodum hunc soluat.

Ac sane huius authoritas viri hoc tempore, à publicis munijs Ecclesiæ celebris, Oculati testis, à secretis & Cancellis Ecclesiæ, præualere merito debet omnibus scriptoribus, qui post tot centenos annos ex inani rumore de hac scripserunt. Seruit huic loco illud, quod apud Plautum loquitur Stratophanes miles:

In Truculento act. 2. pag. 208 mihi.

Pluris est oculatus testis, quam auriti decem,
Qui audiunt, audita dicunt, qui vident clare sciunt.

2. Idem

2. Idem Anastasius in Nicolao I. hæc habet: *Sergio Papa ab hac corruptibili vita subtracto Romanæ Ecclesiæ gubernacula Leo Præsul suscepit. Leone Papa defuncto, Benedictus miræ beatitudinis vir, ac sacratißimus Pontifex superno protectus auxilio Romanæ præponitur sedi.* Nota Anastasij mentem fuisse Pontificum vitam & successionem describere, & quis, cui successerit. Atqui Leoni mortuo dicit successisse (nō Thaidem aliquam,) sed Benedictū. Pag. 306.

3. Idem, vt Baronius probat, vel (vt alij) Guilhelmus Bibliothecarius in Hadriano II. referens, quomodo post mortem diuersorum sibi succedentium Pontificum Hadrianus ad Pontificatum sollicitatus, ex humilitate subterfugerit, hæc habet: *Sicut post mortem Quarti Papæ Leonis, ita post obitum Tertij Benedicti Pontificis subire summum Pontificium, nisi ipse diuersis argumentis, & exquisitis excusationibus, verecunde subterfugisset, cogeretur. Sed cum Apostolicæ memoriæ sanctißimus Papa Nicolaus rebus exceßisset humanis, omnes vrbis Romanæ ciues Hadrianum dari sibi præsulem ac pastorem exoptant.* At cur non post detestandum obitum Papissæ, sicut ante post mortem Leonis, & post obitum Benedicti, requisitus est Hadrianus? nempe quia Chimera non fuit. Pag. 329.

Illud mihi mirum cū hic Anastas. in vita Hadriani 2, dicatur Latine & Græce eloquē- Pag. 335.

tissimus, & sane aliquando cum alijs Magistris huius Ioannæ ante Pontificatum scholas, siue Triuium honoris saltem causa, si non vt discipulus, frequentauerit, si fuit, cur tanti Doctoris nullibi meminisset, cum toties minuta quæq; in historia sectetur? Sed nugæ hæ ignotæ illi fuerunt.

Sed audi vnam Iunij responsionem: *Reticuit Anastasius, ex Iudicio & authoritate publica, qua vel solam rei memoriam damnatam. sepultam, extinctam voluerunt.* Fingis hæc, Iuni, de authoritate publica. Quid? si statutum ob eam fuit, vt sexus probaretur, idque authoritate publica; si imago de hoc facto in æternam rei memoriam erecta, quomodo Iudicio & authoritate publica, res silentio inuoluta? sed huc homines adigit animi impotentia & desperatio! Iudicet hic, qui vel rationis micam habet. Sed valeat Iunius cum hoc suo mendacio. Hæc de Anastasio.

CAPVT IX.

De Hincmaro, & Lupo Abbate Ferrariensi, huius temporis scriptoribus.

HIncmarus, institutus in locum viuentis Ebbonis Archiepiscopus Rhemensis, ordinatos ab Ebbone post depositionem ab officio suspendit, & causam suam diligenter promouit apud Leonem IV. Benedictū III. & Nicolaum I. Refert ipse Hincmarus

marus acta sua apud hos Pontifices epistola data ex synodo Trecensi ad Nicolaum: Annon occasio hic ferebat, scribere, quid post mortem Leonis apud Papissam egisset? Et qui mortuo Leone statim in primordijs electionis Benedictum in causa sua conuenit, ille biennio toto & quinque mensibus, quo Papissa fingitur, tacuisset? Tacuit sane, quia numquam visa, numquã audita fuerat hæc Chimera.

Respondet Grimmius eum non fuisse historicum, quod altero verbo obijcit multis authoribus, qui de hoc silent.

Quid ais nasutule? Non est Hincmarus historicus? Annon scripsit vitam S. Remigij? Epistolæ diuersæ, quid nisi historica, consilia, & responsa habent? De diuortio Lotharij & Thetbergæ promoto ope Episcoporum Coloniensis & Treuerensis desuper à Nicolao I. excommunicatorum, scriptio, non est historia? Sed vide de libris eius Frodoardum. Et vbi vel apex de inaudito hoc monstro?

Sequitur *Lupus Abbas Ferrariensis*, cuius extat liber epistolarum, quæ magnam eius temporis continent historiam. Est in eo epistola 103. ad Benedictum III. quem volunt successorem huius monstri. ad eum hæc habet: *Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis functus legatione Romæ, cui authore* *à pag. 377. ad 569.*

 Deo

Deo præsidetis, & ab eodem Antistite exceptus benigne, atque tractatus, postquam vos non esse inferiores religione fama declarauit, ausus sum ego tantillus cognitioni vestræ sublimitatis, me scriptis ingerere. Ita ille. Ex cuius authoris non solum silentio, sed & asseueratione, qua asserit Leonem IV. fuisse Benedicti *decessorem*, constat nullum monstrum fuisse intermedium.

Respondet Grimmius Vocabulum *decessor* sæpe accipi non pro immediato antecessores, sed & pro alijs, quod probat ex Papyrio Massonio lib. de Episcopis Vrbis lib. 5. in Celestino 3. *Interdum Romani Pontifices non solum eos, qui proximi Episcopi fuêre, sed plerumque disiunctissimos illo nomine prædecessoris complectuntur.*

At vero Leo IV. non prædecessor, sed *decessor* dicitur, quasi proxime ante Benedictum decedens. Vnde responsio inepta est.

Deinde, cum Lupus Abbas adeo ambiret notitiam, & familiaritatem Pontificum, vt mortuo Leone, statim, se ad Benedictum contulerit, per biennium, Papissæ non se insinuauit? saltem occasio ei non hic deerat, memorandi de ea.

CA-

CAPVT X.

De Niceta Dauide, & Ioanne Diacono.

1. NIcetam Dauidem authorem Græcum, & huius temporis scriptorem nullibi meminisse huius Papissæ, apertum nimis est.

Sed occurrit Grimmius: Vbi eius est historia, qua Papissam congrue attingere potuit?

Dicam tibi, homo impudens & mendax. Describit author hic vitam Ignatij Patriarchæ Constantinopol. eiusque acta, & extat græce & latine Synodo octauæ Oecumenicæ præfixa. Ordinatus autem est Ignatius primo Leonis IV. anno, seditque sub eo & Benedicto III. Primo Nicolai anno eiectus est è sede sua per Photium, sed primo Hadriani anno restitutus, describens ergo Nicetas acta horum temporum, non opportune monstrum hoc inauditum inter Leonem IV. & Benedictum III. delineasset, vel verbo attigisset: sed de vita Ignatij eo tempore conscripta satis supra dictum.

2. *Ioannes Diaconus* celebris huius temporis scriptor, scripsit vitam S. Gregorij libris 4. ad Ioannem octauum circa annum 873. Nullibi huius monstri meminit, Ergo saltem huic tempori scriptor non deerat, qui depingere potuisset Papissam. Re-

Respondet Grimmius. Quæ occasio in vita Gregorij de Papissa scribendi? Quasi vero ex occasione accepta non mira quæpiam inserantur historiæ alterius temporis, & maxime cum de sede Romana in Gregorio ex professo egerit. Sane lib. 4. Gregorij meminit Nicolai I. Benedicti III. successoris. Deinde refert Trithemius eum quædam alia scripsisse, in quibus occasio esse poterat de ea scribendi. At numquam meminit: sufficit nobis, non defuisse huic seculo scriptores, qui monstri huius meminisse poterant alicubi.

CAPVT XI.

De Aimonio & Luitprando Ticinensi.

1. Aimonius floruit circa annum 873. scripsit historiam Francorum, & nullibi huius fabulæ vel apicem habet.

Respondet Grimmius nil mirum, cum peruenerit solum ad annum 840. vt docet Bellarminus, & Pontacus, reliqua ad annum 1165. ab alio esse continuata.

Respondeo, sit hoc ita; At 1. saltem eius Continuator fabulæ huius Papissæ vt rumore acceptæ meminisse poterat.

2. Cur non ipse Aimonius, qui post tempus Papissæ vixit, tam horrendi facinoris mentionem alicubi facere poterat?

3. Scripsit & vitam S. Germani, in qua & res

& res ſui temporis proſequitur: Ergo occaſio ſcribendi de ea non ei deerat. Id ſaltem conſequimur, defectui ſcriptorum non adſcribendum ſilentium de ea.

2. *Luitprandus Ticinenſis* Diaconus hoc ſeculo vixit, & geſtorum hiſtoriam enarrans de ea ſilet.

Reſpondet Grimmius, non mirum, cum hiſtoriam in Europa geſtarum ab anno 858. poſt tempus Papiſſæ inchoet.

At contra 1. non erat ipſi occaſio cum de electo Pontifice ageret, Sedis ſtercorariæ, & probationis ſexus mentionem faciendi, vt in alijs recentioribus videmus? Ergo occaſio ei non deerat.

2. Non illa ſolum hiſtoria ſub eius nomine extat; ſed & opuſculum de vitis Romanorum Pontificum vſq; ad Formoſum.

At præfatio Moguntina ſuſpicatur non eſſe eius.

Reſpondeo 1. Litiget Grimmius cum Centuriatoribus Magdeburg. qui opuſculum hoc ſub nomine eius citant. Addo, Albinum typographum ipſo Flac. Illyrici Magdeburgenſium primipili exemplari vſum, ad excudendum, vti docet præfatio.

2. Cum Luitprandus floruerit circa annum 950. & ſeqq. & hoc opus deſinat in Formoſo circa annum 895. non male ſuſpicatur Albinus opus illud eſſe vetuſtioris Luit-

Luitprando, esseque forte Paschasij Rhatberti Abbatis Corbeiensis. Quod si verum est, potuit optime scire, quid proximis annis de Papissa veritas habebat. At audi eius de successione Pontificum iudicium. Ad annum 847. ponit centesimum quintum Pontificem Leonem IV.

Leo natione Romanus sedit annos octo, menses 6. dies 3. Deinde pag. 111: *Obdormiuit autem in Domino 16 Kalend. Augusti.* Sequitur deinde Papa 106. ad annum 855. *Benedictus natione Romanus ex Patre Petro sedit annos duos, menses 6. dies decem.* Nonne hic occasio de Papissa intermedia, agendi? Nonne de sede noua probatiua instituta? Chimeræ non meminit; sed entium realium. Nec solum de ea tacet hic author; sed eum ponit annorum calculum, cui interseri Papissa non possit. Cum Leo anno 847. electus post annos octo & menses sex, successorem habuerit Benedictum anno 855. Ergo mediare Papissa non potest.

CAPVT XII.

Probatio ex epistola Styliani Metropolitani Neocæsariensis ad Stephanum VI.

CVm anno 886. defuncto Basilio Imperatori, qui Photium in sede Constantinopol. post Ignatij mortem restituerat, Leo Filius eius succederet, compertis Photij sceleri-

leribus, eo deposito, ac fratre suo Stephano ad eam sedem promoto, Episcopos à Photio eiectos, ad sedes suas reuocauit; Cum vero eorum multi à Photio fraudulenter, vel per vim ordinati cum eo communicassent, & lex extaret inter capitula Synodi Romanæ sub Nicolao I. in causa Photij, vt ordinati ab eo, honore clericali priuati essent, *Metropolitanus Neo Cæsariensis Stylianus* illis veniam precaturus litteris ad Stephanum VI. datis eos recipi petit. Titulus epistolæ est: *Sanctissimo ac beatissimo Stephano Domino ac Oecumenico Papæ Stylianus Episcopus Neocæsareæ Euphrateriæ prouinciæ seruus seruorum Dei, & qui mecum sunt Episcopi, nec non omnes Episcopi, & Diaconi sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & omnes præpositi per Occidentem & Orientem constituti; & Presbyteri Monachi quietam vitam agentes.* Exponunt in ea Præsules hi ab origine causam Ignatij Patriarchæ, & Photij Pseudopatriarchæ, huiusque depositionem, & excommunicationem per diuersos Romanos Papas. Referunt deinde excitatum à Dæmone Gregorium quendam cum Eulapio, Petro, alijsque contra Ignatium, & pergunt: *Quapropter priuatione tandem, & anathemate ipsos damnauit* (Ignatius) *Illi vero litteras miserunt & legatos ad sanctissimum tunc temporis Pontificem Romanum B. Leonem, petentes,*

Vide epist. 7. Nicolai ad Michaelem.

Vide Baronium tom. 10. & tom. 3. Concil. inter epistolas Stephani VI.

petentes, vt ab ipso quasi iniuriam paßi vindicarentur. Pontifex vero & ipse damnauit eodem modo, quos Ignatius damnauerat, tanquam schismaticos. Sed B. Papa Leone vita functo, iterum illi, Benedicto Papæ successori molestias intulerunt. At Benedictus sanctißimus, re iterum diligenter examinata, eorum damnationem cum Ignatio cõfirmauit. Qui deinde Photio cuidã &c. referre pergit, eosdem cum Photio à Nicolao damnatos, vti & ab Hadriano Nicolai successore. Hic maxima occasio erat agendi de Papissa; ad quam sane excommunicati, à Leone reiecti recurrissent; nec post biennium expectassent electionem Benedicti. Sed de ea ne apex quidem. Quin aperte insinuat Leoni IV. successisse immediate Benedictum; cum excommunicati meliorem causæ suæ patronum sperantes statim ad immediatos successores recurrerent, ad causam suam iustificandam. At nihil de ea. Nulla ergo apud Græcos hos Episcopos Papissa agnita, sed Leoni immediate successit Benedictus.

CAPVT XIII.

De VVitichindo, Ademaro, Milone Monacho & Almanno.

I. VV*Itichindus* Monachus Corbeiensis, claruit sub Othone Imperatore circa annum 950, scripsit historiam Saxonum tribus

tribus libris, & Gesta Othonis vno libro: In quibus de Papissa ne γρὺ quidem, cum in historia tempus eius attigerit.

Fatetur Grimmius, de Papissa in eo nihil esse, sed nec omnium Pontificum meminisse eum dicit.

At quid necesse erat? sedisse vero in Cathedra Pontificali monstrum hoc, & in publico mundi theatro Romæ in processione publico partu pudendo mundo toti imposuisse, res sane erat, quæ non poterat non omnium calamis celebrari. Sufficit nobis non defuisse huic seculo scriptorem, & occasionem hoc monstrum delineandi.

2. *Ademarus* scriptor vixit hoc tempore, teste Genebrardo. De eo Bernartius hæc habet: Scripsit statim post Anastasium & Adonem Ademarus, Lutetiæ Parisiorum. Leoni surrogatum affirmat Benedictum, Ioannis ne meminit verbo.

De vtilitate legēdæ hist. lib. 2. pag. 107.

3. *Milo* Monachus. De quo Sigebertus, & Trithemius, referunt inter alia scripsisse eum vitam S. Amandi, ac diuersas epistolas. Claruit sub Carolo Caluo circa annum 870. de quo & Platina in Ioanne IX. In eo de Papissa nihil, cum occasio non deesset in historia & in epistolis eam vel verbo attingendi.

li. de script. Eccl.

4. *Almannus* Benedictus Monachus eodem tempore claruit sub Carolo III. ac vi-

E tas

tas diuersorum conscripsit, vt & deuastationem Galliæ per Normannos, vt est apud Trithemium. Cœpit autem deuastatio hæc anno 853. vt est apud Rheginonem. An ergo occasio defuit propudium illud Romanæ sedis, quod sub hac deuastatione est patefactum, vel verbo attingere? Numquam vero auditum apicem vllum à quopiam ex his pro Papissa adductum: Cum tamen res hæc à seculis non audita omnium calamis merito celebrata fuisset.

CAPVT XIV.

De S. Adone Viennensi, & Rheginone Abbate Prumiensi Claris Scriptoribus.

1. S. *Ado Viennensis* hoc tempore scripsit, ediditque Chronicon, quod perduxit ad annum 879. adeoque res Pontificum huius temporis optime perspectas habuit. Maxime autem partum hunc Papissæ monstrosum, in publico mundi theatro denudatum, sed de successione Pontificum eius audiamus testimonium. Chronici sui ætate sexta hæc habet: *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque in eius loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo succedit. Quo obeunte Benedictus in sede Apostolica substituitur, iam tamen defuncto Lothario Imperatore.* Quid clarius? Cum enim agat de immediata successione in locum obeuntis, dicit Leoni IV. decedenti

Be-

Benedictum successisse: *Quo obeunte Benedictus in sede Apostolica substituitur.* Patiunturne hæc verba intermediam hanc Thaidem? Et tamē, quando vixisse fingitur, vixit hic Ado.

Hærebat hic Grimmio Meretriculæ huius confictæ Aduocato aqua: at ne loquaculus plane taceat, respondet à scriptoribus omitti interdum aliqua. O acutū & Licentiatulo dignum responsum! Agimus hic de testimonio Adonis magnæ authoritatis viri, maxime in historia sui temporis; At ille asserit Obeunti Leoni successisse Benedictum. Quod sane falsum est, si Thais hæc successerit Leoni obeunti. Valeat ergo ille cum hac sua meretricula.

2. *Rhegino Abbas Prumiensis* scripsit historiam à Natiuitate Domini, finitq; anno 908, quem à sinceritate, & diligentia commendant, qui è prelo suo nobiscum dederunt Lutherani. Hic Rhegino Chronicorū lib. 2. an. 855. quo scortum hoc electum fingitur describit, quomodo Lotharius filijs suis Imperium diuiserit, ac deinde Prumiensi Monasterio nomen dederit habitu religionis suscepto; cuius loci ipse Rhegino Abbas postea fuit.

Anno 856. describit coniugium Lotharij filij cum Thietberga; cuius diuortium multorum dein malorum causa fuit.

Anno 858, mortem Caroli filij Lotharij narrat.

An hisce annis, tanto sedis Romanæ propudio per orbem Christiannum propalato, calamus ab eo consignando quieuisset? Quærat iam Grimmius, qua occasione Papissam cõmode attigisset? quod sæpius regerit. Quærat num historicus sit? En habet duos nobiles historicos hoc capite, & quidem eorum, & vicinorum temporũ, quibus occasio optima erat, dum annorum horum recensent memorabilia gesta, historiam Papissæ non prætereundi. Sed quid monsttum nondum confictũ describerent?

CAPVT XV.

Dissoluitur prima Aduersarij probatio ex hoc seculo, immo ab ipsa Papissa desumpta.

IOannes Balæus Caluinista scriptorum Britanniæ Cent.13. hæc habet. *Et vt Hieronymus Marius in Eusebio captiuo scribit, Ioannes 8. constituit, ne Romanæ Ecclesiæ priuilegia, nisi centum annorum præscriptione tolli possent.*

Magdeburgenses Cent.9. cap.10. In Ioanne 8. fœmina hæc habent: *Romanæ Ecclesiæ priuilegia non nisi centum annorum præscriptione tolli posse decreuit, vt aliqui scribunt.*

Grimmius probat ea ratione, quia Canon. Nemo. dist.13. q.3. citatur nomine Ioannis Octaui ad Ludovvicum. At ille Ludovvicus tempore huius Papissæ regnauit. Ergo Papissa huius Canonis author est.

O mendacium impudens ! Quis id tot centenis annis, etiã ex ijs, qui Papiſſæ meminerunt ante Aduerſarios noſtros vmquã vel verbo indicauit ? Tã impudens nemo fuit.

At 1. probat Balæus ex Hieronymo Mario.

Verum quis iſte Hieronymus Marius ? Certe noſter non eſt, qui in prima claſſe Indicis prohibitorum librorũ ponitur, quorum authores Catholicos non habemus.

At 2. Magdeburgenſes aiunt id quoſdam ſcribere.

O teſtes fide dignos ! Nominent eos, maxime ex cana vetuſtate.

At 3. Grimmius. Ludovvicus, ad quem ſcribitur in hoc Canone, tempore Papiſſæ ſedit.

Verum id proba impudens thraſo, qui altero fere verbo doctiſſimos viros mẽdaces exclamas. Nam 1. ipſe Pleſſeus in myſterio Iniquitatis carpit Ioannem VIII. non fictitiã Papiſſam, ſed ſucceſſorem Hadriani II. quod Ludovvicum II. iuramento abſoluerit. Ergo & tempore Ioannis VIII. viri, ſedit Ludovvicus, ad quem ſcribere potuit.

2. Habuit Ludovvicus Rex Romanorum filios Carolomannum, & Ludovvicũ ad quos plures huius Ioannis VIII. extant epiſtolæ.

3. Fuit & Ludovvicus Caroli Calui filius Rex Galliæ, ad quem itidem aliquot

extant epistolæ huius Ioannis VIII. quas vide Tom. 3. Concil. parte 3. Vide Platinam in vita eius, quem tamen perperam Ioannũ IX. vocat, reclamantibus alijs historijs, bullis, & instrumentis, inquit Onophrius.

Vide iam rationem Licentiatulo dignam.

Sedit Ludovvicus anno 855.

Ergo Ioannes VIII. qui ad Ludovvicum aliquem scribit illum Canonem, fuit Papissa.

Et tamen hic tantus est sui præ alijs admirator, quantus aliorum præ se contemptor. Sed valeant hæc mendacia.

CAPVT XVI.

Soluitur argumentum à statua quadam, quasi in huius Papissæ memoriam Romæ erecta.

STatuam dicunt in facti memoriam erectam, nempe Papissæ cum puero. Ergo verissima est historia.

Verum 1. Quo tempore hæc statua erecta? Sub quo Pontifice.

2. Cum fingatur cõmuniter puer cũ Matre in ipso partu mortuus, quomodo correspondet statua facto? statua namque pueri exprimit ætatẽ adultioris, & alium, qui sequitur, per se præcedẽtis. Vnde ocularis statuæ huius inspector Bellarminus putat statuã esse sacerdotis Gentilis cum suo famulo pręcedente: Alij vero vnum esse ex antiquis idolis,

idolis, quæ hinc inde non in venerationem, sed in memoriam vigētis olim; at nunc Dei beneficio prostratę idololatrię sunt relicta.

Respondet Iunius in Animaduers. Bellarm. li. 3. de Pont. cap. 24. *Puerum iam grandiorem, vt superstes erat fuisse effictum in perpetuam rei memoriam.*

Hoc merum Iunij est figmentum, ex sola desperatione excogitatū, manebitq; mendacium, donec vllus producatur vetustior author, de Papissa agens, qui puerum agnoscat ad adultiorem ætatem deuenisse. cum à plerisque fingatur vnà cum Matre in puerperio extinctus.

Deinde. A quibus statua hæc est posita? an à Pontifice?

Respondet Iunius, à Populo Romano, ait Senatu re bene examinata.

At, vnde id probatur, nisi ex fabuloso Iunij cerebro? 2. Quomodo hæc concordant cum responso ad Anastasium supra cap. 8.

CAPVT XVII.

Dissoluitur obiectio ex Radulpho Flauiacensi huius Centuriæ scriptore.

R*Adulphus Flauiacensis* floruit circa annum 907. varijs & præclaris celebris libris.

Allegat hunc Grimius; sed nec librū citat, in quo fabulam hāc habeat, nec verba; sed dicit se id habere ex alijs siue Luteranis, siue

Caluinistis suis. O testes huius rei authenticos! Allegat & Anonymus tract. de Ioanna VIII. contra Iesuitas, hunc ipsum Radulphum, sed se nec legisse, nec Codicem vidisse fatetur, allegari auté eum in Ecclesiastica historia, quod de puerperio Papissæ in libro quodam scripserit, quem Trithemius nominat Chronicon breue. At quæ illa Historia Ecclesiastica, & quam vetus?

Allegat & wolphius Cent. 9. Notat autem Grimmius seruari eum librum in Bibliotheca Vaticana Romæ.

Hoc merum figmentum, eo vsque habebitur mendacium, & Grimmius, & wolphius, & Anonymus mendacij rei erunt, donec legitimo testimonio siue librum Authoris, siue vera eius verba nobis exhibeant. Affirmanti & alleganti incumbit probatio.

Atque hac ratione solida stat nostra demonstratio, ex prima annorum Centuria post annum 855. nullum huius fabulæ apicem alicubi extare.

TRA-

TRACTATVS III.

IN QVO EX SILENTIO SCRIPTORUM ſecundæ annorum Centuriæ ab anno 955. ad 1055. configitur hoc monſtrum.



LORVIT hoc ſeculum nobilibus ſcriptoribus, prodijt & eo Berengarius acris Eccleſiæ, & Romanæ Sedis hoſtis, qui quibus potuit dicterijs & ſcommatibus illam conſpurcauit. At perijſſe illam, vel errasse in Papiſſa, numquam illi ne quidem per ſomnium in mentem venit. Magnum veritatis teſtimonium. Tu Lector perge & num apicem hac Centuria de Papiſſa inuenias, conſidera.

CAPVT I.

De Frodoardo Abbate Rhemenſi nobili ſcriptore.

MAgnum in hac annorum Centuria authoritatis pondus merito obtinet *Frodoardus Abbas*, accuratus ſcriptor. qui, vt eius habet Epitaphium obijt anno Domini 966. ætatis 73. adeo vt proximos annos huius confictæ Papiſſæ attigerit.

Conatur quidem Grimmius authoritatem eius subterfugere, quod Chronicon suum inchoet ab anno 919 quod Card. Bellarmini authoritate probat, indeque infert, nihil eius silentium huc facere. Sed quam fallaciter, iam doceo.

Lib. de script. Eccles.

Card. Bellarminus prædicti Chronici solum mẽtionem facit: sed Trithemius, qui eum Flaualdum corrupte nominat, mẽtionem habet Historiæ Rhemensis ab eo cõscriptæ, quæ & aliàs prodijt, & demum anno 1617. prodijt cum doctis scholijs Coluenerij Doct. Duacensis. In quo opere fuse prosequitur res gestas Hincmari Episcopi Rhemẽsis sub Sergio, Leone IV. Benedicto III. Nicol. I. Hadriano II. Ioanne VIII. Ex quo duo ineluctabilia argumenta nobis suppeditantur contra Papissæ figmentum.

Primum desumitur ex li. 3. hist. Rhem. c. 11. Agit ibi de habita Synodo Prouinciali Suessionensi anno 853. in qua actum erat, vt ordinati ab Ebbone prædecessore Hincmari Archiepisc. Rhemensis reijcerẽtur, simulque tractatur quomodo Hincmarus diuersos Papas sollicitauerit pro huius Synodi approbatione: *Quæ actio Synodi Sedi Apostolicæ ab Hincmaro directa, & à Benedicto Papa Leonis Successore corroborata est: sed Dominus Nicolaus eiusdem Benedicti Successor, petentibus Sedem*

Apo-

Apostolicam prænotatis reiectis, præmemorata gesta Synodi retractasse, atq; reprehendisse reperitur.

Vides hic, quâ ratione Nicolaus dicitur Successor Benedicti, eadem dici Benedictũ III. Successorem esse Leonis IV. vbi monstrum illud intermedium?

Sed pergamus cum Frodoardo agente de epistola Nicolai I. contra hanc Synodũ. *Intimat etiam* (Nicolaus in epistola sua, quæ est 46.) *quomodo Dominus Hincmarus pro his actis Concilij Leoni Papæ non semel supplices literas miserit. quatenus idem Concilium authoritate Apostolica approbaret. Quod ille agere sollicite renuit, eò quod per aliquos ex his Episcopis, qui in Synodo resederant, vt dubitatio foret radicitus euulsa, eiusdem Synodi statuta destinari debuissent, præcipue cum ibidem Legati Sedis Apostolicæ præsentes non fuerint. Et quia hi, quos ille authoritate Synodi affirmabat depositos, per proprias litteras ad Sedem Apostolicam appellauerint; præcepisse quoq; eundem Papam, vt Hincmarus Præsul ad Concilium cum illis occurreret. Cui audientiæ, quoniam Dominus Hincmarus suam non exhibuit præsentiam, voti effectu frustrato, Leo Pontifex ab hac luce subtractus est: Benedicto autẽ Viro Apostolico succedente eidẽ, subreptũ fuisse, & in ipso consecrationis eius principio suasũ, vt illud firmaret Conciliũ, non tamen suaderi potuisse vt à iustæ definitionis tramite declinaret. Verum ita per ei cõcessum priuilegiũ illius roborasse Cõcilij insti-*

Benedictus Leoni mortuo succedit non Papissa.

institutum, vt authoritatis summam Sedi Apostolicæ reseruarit, &c.

Annon illa: *Leo Pontifex ab hac luce subtractus: Benedicto ei succedente*, clara sunt ad veritatem illustrandam? Nihil hic de Papissæ monstro, quam Leone mortuo Hincmarus sollicitus pro confirmatione suæ Synodi requisiuerit, cum tamẽ Benedictum statim in principio Consecrationis suæ (an ille tam anxius in hoc Ioannem fœminam præterijsset, & semi tres annos quieuisset?) sollicitauerit, velut immediatum successorem Leonis IV. à quo toties reiectus fuerat. Et hoc sit primum & clarissimum argumentum ex eo.

Alterum desumitur à tempore electionis Leonis IV. & obitu Nicolai I. Nam lib. 3. Historiæ Rhem. cap. 2. refert habitam Synodum Parisiensem in causa Ebbonis anno 847. sub Sergio, qui eam indixerat Treueris habendam; sed non comparentibus Legatis Apostolicæ Sedis, Parisijs habitam: Acta autem destinata Romam Leoni IV. successori Sergij iam mortui, sunt exhibita. De quo in fine capitis hæc: *Qui etiam Ebbo (postquam res gestas Leoni Papæ referentibus Episcopis, & regalibus insuper epistolis, ordinatio Hincmari, quando fidei quoq; suæ tenorem Romam misit, rata est cum largitione pallij comprobata) per quinq; circiter annorum curri-*

cula

cula superuixisse fertur in corpore, vsq; ad annum videlicet Incarnationis Dominicæ quinquagesimum primum.

Ex quo certissimo colligitur Leonem Sergio mortuo electum anno 847.

De tempore mortis Nicolai I. & successione Hadriani II. agit author lib.3. cap.17. *Anno Dominicæ Incarnat. octingentesimo sexagesimo septimo Synodus prouintiarum Rhemensium, Rothomagensium, Turonensium, Senonum, Burdegalensium, atq; Bituricensium apud Tretas 8. Nouembris conuenit.* Refert ibidem epistolam Synodalem ad Nicolaum I. eiusdem tenoris, quam iam ante Hincmarus Iulio mense, Romam scripserat, & Nicolaus infirmus, ei responderat. Pergit iam in fine capitis: *Nicolaus Papa Idibus mensis Decembris obijt, cui Hadrianus Papa electione clericorum, & consensu Ludouvici Imperatoris in Pontificatu successit, quem Aetardus* (Synodi ad Nicolaum legatus) *Romam veniens in Apostolica Sede iam ordinatum inuenit.* Vide tract.2.c.2.

Subduc iam calculos ab anno 847. quo electus est Leo IV. vsque ad annum 867. quo, mortuo Nicolao I. succedit Hadrianus II. habes viginti annos, cum augmento mensium. Da iam Leoni octo annos cum Historicis; Benedicto duos; Nicolao nouem; adiunge & superstites cuique menses, vel dies, eritne possibile, biennium inueni-

ueniri pro monstro Papissæ? Ergo non solum ex silentio huius authoris in re memorabili; quæ calamum historicum vel maxime concernebat, sed & verissima eius Chronologia impossibile est locum inuenire pro Papissa. Atque hæc de Frodoardo, vel Flodoardo, vt alij habent.

CAPVT II.

De Hermanno Contracto, Glabro Rodulpho, Georgio Cedreno Græco huius Centuriæ scriptoribus.

1. HErmannus Contractus sanctus scriptor, scripsit de sex ætatibus mundi Chronicon, & perduxit ad annum 1052. Ergo tempora Leonis IV. & Benedicti III. attigit: At de intermedia Papissa nihil: sed post Leonem IV. immediate ponit Benedictum III. sicut post eum, Nicolaum I. & post eum Hadrianum II. &c. Verba eius sunt ad annum 856. *Benedictus III. Papa centesimus sextus, annis duobus, mensibus sex, diebus 9. Leo Papa, Drogo, & Rabanus obierunt.* Quid clarius? ponit enim eodem anno electionem Benedicti III. & mortem Leonis Papæ. Vbi ergo interstitium duorum annorum & aliquot mensium apud hunc Authorem?

Cal-

Caluinista Grimmius emunctæ naris homo, scilicet! designat tempus Papissæ in Authore hoc, eo quod Leoni annos nouem adscr bat, cum octo solum habere debeat: Benedicto autem tres adscribat; cum duo ei solum sint adscribendi. Quid inde? Ergo fuit Papissa, & error ob Papissæ maculam si non eluendam, saltem tegendam commissus est? Ita nugatur Grimmius. sed commiserit ille in computo errorem, annon quid senserit, satis exprimit, dum eodem anno ponit mortem Leonis, quo Benedictus sedit? Apage cum his nugis. Author ea docet, quæ fabulam plane euertunt.

Quod autem dicit Authorem hunc Benedicto III. dare tres annos, cum duos solum dare debuisset, mendacijs eius adnumerare possem; Nam in exemplari antiquo, quo vtor, duos solum annos inuenio. Verba adscribo rursum ad annum 856. *Benedictus III. Papa CVI. annis duobus, mensibus sex. Leo Papa obijt. Lotharius Imperator obijt.*

Rursum ad annum 858. *Nicolaus Papa CVII. doctus, annis nouem, diebus nouem.* Ergo Benedicto Tertio, & verbis expressis, & temporis calculo annos solum duos adscribit.

2. *Glaber Rudolphus* sub Henrico I. Fran-

corum

corum Rege floruit circa annum 990. At in historia, quam conscripsit, ne apicem habet de hac fabula.

Respondet Grimmius, eum tantummodo sui temporis historiam prosequi; Quæ occasio in ea agendi de Papissa?

Verum 1. Ergo saltem non defuit hoc tempore scriptor, qui eius meminisse potuit.

2. An vero nouum, rarum quid & inauditum, historiæ alterius temporis immiscere? Sane Baronius ad annum 888. ex illo recitat mirum quidpiam de Ecclesia Aurelianensi; quæ tamen historia plusquam centum annis ætatem eius præcesserat.

Sed 3. Vsus Sedis perforatæ, & sexus virilis probatio, in cuiusuis Pontificis electione commode commemorari poterat; & vnde mos ille fluxisset, doceri. At nullus huius temporis vel talis vsus, vel Papissæ ipsius meminit.

3. *Georgius Cedrenus* Græcus, compendium historiarum scripsit ab orbe Condito ad annum 1057. Hic prosequens historias annorum, quibus Papissa fingitur, nihil de ea habet. In quo historico illud maxime notandum, Græcum eum fuisse. Quam ille libenter, & opportune ad honorem Sedis Constantinopolitanæ schismaticæ monstrum hoc Romanæ Sedis delineasset, &

orbi

orbi exhibuiſſet? At tacuit, quia tunc nec minimus de eo fuit rumor. Hic hærebat Grimmio aqua, nec quid ſolidi adferret, habebat.

CAPVT III.

De Adamo Bremenſi, & Ioanne Curopalate.

1. ADamus *Bremenſis* vixit hac Centuria. Scribit præclaram hiſtoriam Eccleſiaſticam, in qua propagationem religionis Chriſtianæ in regionibus ſeptentrionalibus deſcripſit à Carolo Magno ad Henricum IV. de cuius ſcriptoris laude, & fidelitate vide Baronium ad annum 1062. nu. 18.

Verum in tota illa hiſtoria, quæ annos confictæ Papiſſæ includit, de ea ne γρῦ quidem impreſſus eſt Lugduni Batauorum anno 1595. hic Author.

Nec hic occurrebat Grimmio, quod apte reſpondebat, ſolum oſtēdi petit, quomodo ſilentium Papiſſæ repugnet ſibi.

Doceo, quia res geſtas horum temporum proſequitur. An vero inauditum hoc monſtrum orbi manifeſtatum tacuiſſet?

2. *Ioannes Curopalates* ſcripſit hiſtoriam ab anno 811. ad annum 1081. Optima in his occaſio erat de Papiſſa agendi, dum tempus eius comprehendit. At tacet de ea. De quo rurſum notandum, Græcum eum

fuiſſe, adeoque ſedi ſuæ ſchiſmaticæ magis, quam Romanæ fauentem. Illene Thaidem hanc immemoratam tranſijſſet, ſi eius tunc vel minima fuiſſet fama? Quinimmo infra quadringentos à Papiſſæ tempore annos Græcus nullus ab Aduerſarijs producitur, huius Papiſſæ teſtis. At vero quomodo calamum acuiſſent ad propudium hoc delineandum, ſi eius vel minima fama eorum aures pulſaſſet?

CAPVT IV.

De Bertoldo Conſtantienſi, & Lamberto Schafnaburgenſi.

1. BErtoldus *Conſtantienſis* hiſtoricus fidelis continuauit hiſtoriam Hermanni Contracti, ſiue Chronicon, adeoque ſcriptor huic tempori non deerat, qui famam de Papiſſa, ſi quæ tunc fuiſſet, ſcriptis commendaſſet.

At, inquit Grimmius, occaſio illi non erat, cum poſteriorum annorum ſolum proſequatur hiſtoriam.

At 1. ſupplere poterat, quod in Hermanno Contracto, de Papiſſa omiſſum erat. Sane raritas, & incredibilitas tantæ deceptionis omnium calamos acuiſſet ad ſcribendum. 2. In cuiuſque Pontificis electione annon occaſio erat ſedis perforatæ, probationis ſexus, eiuſque originis mentio-

nem

hem habendi? Ergo occasio illi non defuit.

2. *Lambertus Schafnaburgensis*, insignis & celebris scriptor, scripsit historiam ab orbe Condito ad annum 1077. Isque dum annos, quibus Leo Papa, Benedictus III. & Nicolaus I. sederunt, prosequitur, huius monstri minime meminit.

Respondet Grimmius, eum solum breuiter quædam transcurrere, nec multorum Pontificum nomen habere.

Quid hoc ad rem? An non è re erat, rem hactenus mundo inauditam, & præ alijs rebus gestis admirandam vel verbo attingere, maxime dum de Lothario & Ludovvico agit, sub quibus sedisse fingitur? Attigisset haud dubie, si vlla eius fama fuisset, quæ sane de stupendo hoc portento, in publico mundi theatro manifestato, exilis esse non potuisset.

CAPVT V.

De Berengario Hæresiarcha, & ei opposititis Lantfranco & Adelmanno.

CIrca annum 1020. 1030. 1040. 1050. orbi se exhibuit *Berengarius*, qui dogmate Sacramentario vltra quinquaginta annos Ecclesiam primus publice, & coacta secta vexauit; mortuus est enim prope nonagenarius, anno 1088.

 Fuit

Fuit hic iniquus, & maledicus in Ecclesiam, & Sedem Romanam, & verisimilia eius propudia non celasset: Nam de eo scribit Lanfrancus contemporaneus illi & antagonista. *S. Rom. Ecclesiam vocas Ecclesiam malignantium, Concilium vanitatis, sedem Satanæ, & hoc impio errore garristi, quod garrisse nemo legitur, non hæreticus, nō schismaticus, non falsus aliquis Christianus: Quotquot enim à primordio Ecclesiæ Christianæ Christiani nominis dignitate gloriati sunt, etsi aliqui relicto veritatis tramite per deuia erroris incedere maluerunt; sedē tamen S. Petri Apostoli magnifice honorarūt, nullamque aduersus eam huiusmodi blasphemiam vel dicere, vel scribere præsumpserunt. Quod indubitatum habet, qui eorum scripta legit, &c.*

Lib. cōtra Bereng.

Ex quibus clare patet, eum conquisita vndique dicteria & calumnias in Sedem Pontificiam egessisse. Qui & Pontificem *Pompificem*, & *Pulpificem* vocare consuebat. Et quidem ea forte de causa in hanc sedem adeo insaniuit, quod tot vicibus periurus ille, post tot palinodias, & erroris abiurationes, à Sede Pontificia per diuersos Pontifices damnatus esset.

At quam apta sedē hanc deturpandi materia ex sordibus Papissæ? Nullū tamen eius extat vestigium, vel apud Adelmannum eius sub S. Fulberto condiscipulum, vel Lanfrancum, vel alios ei respondentes. Sed

Sed nimirum vexare Ecclesiam hoc Papissæ portento non poterat, quod nondum in cuiusdam cerebro conceptum aut enatum erat.

Et sane quam altum de hac silentium in tota Berengarij secta reperio, eo magis admiranda est Aduersariorum vel cœcitas, vel malitia, fabulam postea confictam, vel fama inani introductam, pro vera historia tam constanter obtrudere, indeque lineæ Pontificiæ interruptionem, & Ecclesiæ interitum, & in meretricem mutationem concludere conantium. Figmentum est, & inane spectrum, quod pestea diuulgatum.

Conclusio huius Centuriæ.

PRæter citatos huius temporis viros dōctos, & scriptores, habes hoc seculo alios, & primo quidem Græcos. Theophylactum, Oecumenium, Olympiodorum, qui etsi historias huius temporis ex professo non scripserint, sed in diuinas scripturas commentaria: poterant tamen hinc inde occasionem captare tanti monstri delineandi, maxime cum Theophylactus aperte schismaticus fuerit, & nonnumque Latinos in Commentarijs carpat.

Deinde Latinos habet plurimos, quos vide apud Trithemium, Gualtherum, & alios; adeo vt cōstet de his duabus annorū

Centurijs, nullum authenticum testimonium pro hac Papissa produci posse. Quomodo autem inauditum illud prodigium tegi in orbe potuisset, quod nunc ex incerta fama, & relatione, immo coniectura mera tantum fœtorem excitauit? Iudicet æqui iudicij Lector.

TRACTATVS IV.

SILENTIO SCRIPTORVM tertiæ annorum Centuriæ ab anno 1055. ad 1155. detegitur figmentum de Papissa.

PRÆFATIO.



N hac primùm annorum Centuria occurrunt Marianus Scotus, & Sigebertus, qui & à Baronio habentur huius fabulæ authores primi, & ab Aduersarijs vel primi habentur, vel certe, qui rem fama iam diuulgatam, aperte scribant.

Sed ponamus imprimis hos Authores fabulam hanc habere, qui post ducentos annos confictæ Papissæ vixerunt, & scripserunt, vt ex calculo annorum eorum constat, an ideo testimonium eorum erit authenticum? Sane nisi cœcus quis, id non iudi-

iudicabit. Potuit quidem Moyses post bis mille annos describere historiam Creationis (quod exemplum inepte allegat Caluinista Grim.) sed vt calamus Spiritus sancti; Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia (*sic & omnis scriptura*) sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2. *Petri* 1. 21. *Sed non potuit id Marianus & Sigebertus, nisi fallaciter, contradicentibus priorum temporum historijs, de quibus supra. Immo repugnante oculato testimonio Anastasij Bibliothecarij.* Nec *enim, nisi fulti præcedentium temporum scriptoribus, de ea scribere poterant, vel si qua eius fama ad eos deuenerat, verorum historicorum partes erant, famam hanc examinare, & cum authoribus conferre.*

Dices cum Grimmio, Catholici credunt, Petrum fuisse Romæ, immo ibidem fuisse Episcopum, quod tamen scriptoribus infra primos ducentos annos à S. Petro non potest ostendi : Ergo res post ducentos annos scripta potest fidem mereri.

Resp. 1. *Petrum & Romæ fuisse, & Pontificem egisse, constans fuit Ecclesiæ traditio, non fama vulgi. Vnde aliud est scribere ex constanti Ecclesiæ traditione, aliud ex rumore vulgi: Illa enim fida est* veritatis columna 1. *Tim.* 3. *Vnde nec ab hæreticis vmquam Petrum Romæ fuisse, nisi à sæculo aut altero post VVicleph est negatum, conspirante videlicet*

toto mundo in hoc. Et ipse Caluinus lib. 4. Instit. cap. 6. §. 15. *velut mundi testimonio obrutus scribit.* Propter scriptorum consensum non pugno, quin ibi mortuus fuerit; sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore persuaderi nequeo. *Et cur non Caluine? Numquid non idem Consensus, qui euincit Romæ mortuum, idem quoque euincet Petrum Romæ fuisse Episcopum: Et quidem ille tam fortiter assertus, vt & dogmaticus contra hæreticos fuerit Pontificatus Romanus Petri.*

2. *Falsum est infra ducentos non esse, qui tradant Petrum Romæ fuisse: Tradit Ignatius discipulus S. Ioannis epistola ad Romanos, narrans eos impedire voluisse passionem Petri. Alios taceo. Et an illis primis ducentis illa Historicorum copia, quæ ducentis post Papissam annis? Quæ ergo comparatio horum annorum cum illis?*

3. *Petrum Romæ fuisse non sola est sine scriptura traditio, sed ipsissima scriptura* 1. Pet. 5. 13. *Verum cum de eo hic non sit agendi locus, videatur* Bellarminus, *& pro eo Gretserus lib. 2. de Pontifice, & Interpretes in dictum locum Petri.*

Illud hic mecum miretur mundus. In historia manifesta, mille & quadringentis annis indubitata in qua non est: Vt dicitur, vt fertur. *Sed quam vrgent dogmaticè SS. Patres contra hæreticos, vt Irenæus, Augustinus, Optatus, alij*

Patres,

Patres, *velut rem testimonio totius mundi certam, nempe:* Petrum sedisse Romæ Episcopum, aliosque illi successisse in cura totius Ecclesiæ, *iam audent non in dubium solum vocare Aduersarij, sed pertinaciter negare: Fabulam vero Papissam, testimonio certo authorum laborantem, immo obstantibus testimonijs veterum scriptorum de immediata successione Benedicti III. in locum Leonis IV. solum à posterioribus rumore adsertam, audent vt Veritatem indubitatam scribere, prædicare, immo dogmatice vrgere contra successionem* Pontificum. *An non verissimum est, id esse soli in meridie lucenti oculos claudere, & clamare: Sol non lucet. Annon verum in illis est illud* Pauli 2. *Tim.* 4. 4. A veritate auditum auertent; ad fabulas autem conuertentur? *Profecto horrendis passionum malarum tenebris, necesse est talium intellectum esse obscuratum. Sed pergamus.*

CAPVT I.

De Mariano Scoto.

HVius authoris vitæ tempus imprimis notemus. Natus est anno 1028. Monachus factus est anno 1053. Anno 1059. Fuldæ includitur vsque ad decennium, postea Moguntiæ hæsit. Id ipse testatur. Peruenit ad annum millesimum octogesimum

 sextum,

sextum, quo obijt, cum Chronicon suum produxisset ad annum 1083. vt testatur Bodechinus Abbas, qui ad eius Chronicon ededit appendicem.

Nota vero verba Mariani Scoti in Chronico impresso ætate sexta ad annum 853. *Leo Papa obijt Kalendis Augusti, successit Iohanna mulier annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor*: Sed de Manuscripto Francofordiensi, ex quo prodijt editus Marianus sic Serarius in historia Moguntina: *In manuscripto Mariani Scoti Codice, quem mihi D. Ioannes Latomus Françofurti monstrauit, quemque in edito corrigendo ipse sequutus est, ita habetur. Huic Leoni successit, qui fuit mulier, vt asseritur.* Hoc exemplari vsum Ioannem Heroldum typographum ipse asserit in dedicatione. Vnde manifestum est, Marianum, si hanc fabulam habet, habere & solum niti fama vulgi, vnde eius testimonium authenticum esse non potest.

Lib. 1. cap. 42. nu. 38.

Sed plane verum est Marianum ipsum numquam scripsisse illud, sed aliena manu in textum irrrepsisse. Fateor quidem Baronium eiusque continuatorem Bzouium, Marianum Scotum primum habuisse authorem, huius fabulæ; sed testatur ad Crantzium in Metropoli pag. 100. Gerwinus Calenius, Manuscripta illud non habe-

habere, quamuis rideat ipse ridendus Grimmius, id tamen solidis rationibus probatur.

1. Ex Manuscripto Ioannis Pistorij, de quo sic Gretserus pro Bellarmino: *Non semel ex ore clarißimi viri Doctoris Ioannis Pistorij, cuius memoria vti hæreticis in maledictione, sic Catholicis semper in benedictione erit, audiui penes se esse perantiquum Mariani Codicem, in quo nec vola, nec vestigium huius figmenti extat.* Et quamuis respondeat Grimmius, se non teneri testimonio Antagonistæ; futile id tamen est: Nam cum publice id editum sit, & notus fuerit in Germania Pistorius, eiusque habitatio, facile cuilibet erat Codicem hunc apud ipsum videre.

Lib. 3. de Pontifice, cap. 24.

2. Ex Codice Manuscripto Abbatiæ Gemblacensis, de quo Aubertus Miræus in scholio ad Sigebertum, de quo post: *Quod ad Marianum Scotum attinet, quem Aduersarij nobis quoque obijciunt, Chronicon eius in pergameno* CHARACTERE VETVSTISSIMO EXARATVM, *ex Bibliotheca Gemblacensi ad me misit R. vir Ludouvicus Sombechus illius loci Abbas, nostra pariter cura, si Deus vitam dederit, aliquando euulgandum. In eo nulla prorsus Ioannæ Papissæ mentio, ne ad oram quidem.* Ita ille in Sigeberto, cuius Chronicon edi-

In notatione ad Sigebertũ ad annum 854. pag. 107.

edidit anno 1608. post quem duodecennales Regis cum Hollandis Induciæ; adeo vt Aduersarij Belgæ frequenter Antvverpiam concedentes, lustrare hunc librum facile apud illum potuerint. Vnde puerile, quod loquaculus Grim. huic Miræó, vt religionis hosti fidem haberi nolit.

3. In celebri Bibliotheca Oxoniensi, testante ipso Grim. Caluinista & Aduersario, ex litteris Conseruatorum eius Bibliothecæ id contestantium, extat Mariani manuscriptus Codex, in quo nihil de Papissa.

4. Tantum abest, vt tempore Mariani Scoti fama extiterit, fœminam occupasse aliquando Sedem Pontificalem Romæ, vt contra Leo Papa Nonus huius nominis anno 1053. id est, triginta annis ante, quam scriberet Marianus, exprobret Michaeli schismatico Patriarchæ Constantinopolitano, & Leoni Aeridano Episcopo, ex constante fama, fœminam sedisse in sede Constantinopolitana, de quo cap. seq. Quam autem in suum caput hanc fabam cudisset Leo IX. patuisset ex responsis Michaelis, de quibus post.

5. Cum tot Authores ad authoritatem huic historiæ conciliandam ante tempus Lutheri non altius assurgant, quã ad Martinum ducentis annis Mariano recentioré, quid causæ est, quod nullus altius assurgat,

nempe

nempe ad Marianum Scotum, si in eo legissent? Et pro eo quod dicunt; *vt Martinus ait*, cur non maiore fide dicere potuissent, *vt Marianus ait*? Hæc sane ratio clara est.

Respondet ex alio Caluinista Grimmius; Hunc Marianum non ita notum fuisse, & exemplaria eius pauca.

At id non asserendum solum, sed & probandum erat; Nam 1. teste Trithemio Marianus celebris fuit, & ob sanctitatem & doctrinam. 2. Sigebertus post triginta annos eum celebrem esse docet, & disertum, simul & Chronici eius mentionem facit. *De script. Eccles. cap.* 172.

Atque hæ rationes certam hanc sententiam de Mariano Scoto faciunt, maxime ob tot eius Manuscripta, quæ id non habent: Nam his Manuscriptis magis standum, quàm alijs, quibus fabula hæc adiuncta est, ex eo patet, quod facilius erat eam exscribere in prioribus Manuscriptis inuentam, quam omittere, maxime fama de ea iam diuulgata, quare enim omisissent?

Dices, vt parcerent honori Sedis Pontificiæ.

At contra; Sic & in omnibus aliorum Authorum libris eam omisissent, quod tamen falsum est. Ergo dari ratio solida non potest, cur in posterioribus Manuscriptis illa omissa esset. Quare certum mihi est, Manuscripta illa, quæ fabula hac carét,

anti-

antiquiora esse ac propius attingere ætatem Mariani. Vnde & illud sequitur frustra laborare Aduersarios, vt cum & apud illos extent huius Mariani exemplaria hac fabula carentia, ex Mariano velint authentice euincere Ioannam hanc fœminam aliquando fuisse.

Dices. Saltem quia Baronius & Bzouius admittunt de hac scripsisse Marianum, potest ex eo argumentum deduci.

Resp. Nec hoc. Nam quod illis latius examinare non placuit; voluerunt latius examinare, alij, & deducere eum fabula hac carere. Nam Baronius ex eo, quod Marianus ducentis triginta annis post Papissæ tempus vixerit, & obierit, ex tanta temporis præscriptione satis euincere sibi videbatur, figmentum merum esse, quicquid de Papissa spargebatur. Hæc de Mariano.

CAPVT II.

Probatio ex epistola Leonis IX. ad Michaelem Pseudopatriarcham Constantinopolitanum.

CVm Marianus Scotus vixerit circa annum 1083. quo desinit eius historia, & Monachus factus sit anno 1053. ostenditur sane tam à vero abesse, famam tunc fuisse de Papissa Romana, vt contra à Sede Apo-

stolica

ſtolica obiectum fuerit, Patriarchali Sedi Conſtantinopolitanæ, ſediſſe in ea fœminam, idque famâ publica ferri. Quod propudium ſane à Pontifice Romano obiectum nec à Michaele Patriarcha, nec ab vllo Græco hiſtorico eius temporis vel refutatum eſt, vel obiectione ſimilis portenti in Sede Romana ſopitum, prout tamen inimicorum oculi ad accuſandum lyncei ſunt: ſed hiſtoria breuiter eſt narranda.

Circa annum 1053. multis calumniatus eſt Eccleſiam Occidentalem, & Sedem Romanam Patriarcha Conſtantinopolitanus Michael Cerularius datis litteris tum ad Epiſcopum Tranenſem, tum ad alios. Epiſtolam ad Tranenſem Epiſcopum verſam in Latinum Romam ad Leonem IX. mittit Humbertus Cardinalis, qui epiſtola bene longa anno 1054. reſpondet, & ad dictum Michaelem & Leonem Aeridanum, per eundem Humbertum & alios deſtinat, pro defenſione Sedis Romanæ. Imprimis pro honore ſedis ſuæ cap.7. hæc habet: *Nonne à Sede Principis Apoſtolorum, Romanæ videlicet Eccleſiæ tam per eundem Petrum, quam per ſucceſſores ſuos reprobata, & conuicta atque expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta; & fratrum corda in fide Petri; quæ hactenus nec defecit, nec vſque in finem deficiet, ſunt confirmata?*

Rur-

Rursum cap. 8. *Præterimus nominatim replicare, nonaginta & eo amplius hæreses ab Orientibus partibus, vel ab ipsis Græcis diuerso tempore, & diuerso errore, ad corrumpendam Virginitatem Catholicæ Ecclesiæ matris exurgentes; dicendum videtur ex parte quantas Constantinopolitana Ecclesia per Præsules suos suscitauerit pestes, quas viriliter expugnauit, & suffocauit Romana; & Apostolica Sedes.*

His sane & alijs pro honore Sedis Romanæ facile Michael occurrere potuisset obiecto propudio de Papissa, nempe (vt argumentantur Aduersarij) per eam intermediam, ruptam esse successionis lineam; sed tantum abest, vt Pap. Leoni id regerat Michael Constantinop. vt pergat Leo tale propudium obijcere Sedi Constantinopolitanæ. Audi verba cap. 23. *Absit autem, vt velimus credere, quod* PVBLICA FAMA NON DVBITAT ASSERERE *Constantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse, vt Eunuchos contra primum Concilij sancti Nicæni capitulum passim promouendo,* FOEMINAM IN SEDE PONTIFICVM SVORVM SVBLIMASSET ALIQVANDO. *Hoc tam abominabile detestabileque scelus, etsi enormitas ipsius, & horror, fraternaque beneuolentia non permittit nos credere; considerata tamen incuria vestra erga sanctorum censuram Canonum, quia Eunuchos, & ali-*

Vide hanc epistolam post Opera Leonis I. impressa Col. fol. 183. Et Tom. 3. Concil. parte 2. ep. 1. Leonis pag. 195.

& aliqua parte Corporis imminutos non solum ad Clericatum, sed ad pontificatum etiam indifferenter & solenniter adhuc promouetis, fieri potuisse pensamus.

Cogitet iam Lector, annon obiectio hæc digna fuisset responsione, vel per negationem, vel regestionem similis enormis facinoris in Sede Romana? Scripsit post hæc Michael ad Petrum Patriarcham Antiochenum, calumnians rursum Ecclesiam & Sedem Romanam, scripsit & ad alios. sed de hoc enormi crimine ne γρῦ quidem. Ipsemet Humbertus colloquij sui, & disputationis acta cum prædicto Michaele descripsit; extant & quæ contra Nicetam cognomento Pectoratum emisit, qui Michaelis partes acriter fouebat; At nihil de Papissa Romana ab eis opposita; quæ tamen ad iniuriam Sedi suæ Constantinopolitanæ illatam, oportunissima fuisset. Iudicet æquus Lector, an verisimile fuerit eo tempore vel minimam famam de Papissa Romana fuisse, etiam apud inimicos, qui ad vitia partium sunt oculatissimi?

Cum itaque epistola hæc tempore Mariani iam Monachi scripta sit, apertissime sane sequitur, non aliquam de Romana Papissa extitisse famam, sed de Sede Constantinopolitana & publicā famam fuisse,

& publico scripto Patriarchæ illius Sedis, & quidem à Sede Romana obiectum, quod & refelli poterat, & debebat.

Sed audi nugantem Grimmium. Non nouum, inquit, vt Papa alijs proprias obijciat maculas & dedecora.

Verũ audi Calumniator, id non dicendũ, sed probandum esse. Proba id in Leone, idque vel ex litteris, & scriptis respõsorijs Michaelis, vel saltem ex alio scriptore. Vixit sane paulo post, Ioannes Zonaras Græcus, qui tempora hæc attigit, & de Cõstantino Monomacho, & Michaele hoc agit; an non decebat scriptorem hũc pro honore suæ sedis calumniam illam detegere, si quæ fuisset, & docere propudiũ tale fuisse apud Latinos? sed de illo post. Est itaq; ratio hæc, vt Genebrard. ait, *ineluctabilis*, hic non suspicio vertiginosi capitis, sed testimonium & authoritas valere debet, illa hic producatur. Extant scripta, extant historiæ, vel apex de figmento Papissæ producatur.

Lib. 4. Chronol.

Et sane quæ foret stultitia, quæ vecordia, quæ insania, id pro graui crimine obijcere aduersario, quod possit in te ilico maxima tuiignominia retorqueri? Et quidem ab aduersario, qui loco ad scribendum est libero, & libere calamum ad retorquendum potest mouere, & de facto mouet? Iudicet hic, qui vel micam rationis habet.

CA-

CAPVT III.

Sigebertus ab hac fabula absoluitur.

SIgebertus Monachus Gemblacensis scripsit Chronicon ad annum 1112. quo eodem anno 3. Nonas Octobris obijt. vt habet clausula Codicis Gemblacensis; sat imperite vero, & falso putat Grimmius hoc Chronicon ab eo scriptum in Monasterio Metensi, vbi *in prima ætate* positus, & puerorum scholæ Præfectus quædam composuit: Nam quæ scripserit, & quo loco, ipsemet describit lib: de Script. Ecclesi. ca. 172: vbi hæc post enarrata opera sua in prima ætate Metis scripta: *Regressus ad Monasterium Gemblacense scripsi passionem Thebæorum. Imitatus Eusebium Pamphili, qui primus apud Græcos Chronica à tempore Abrahæ digessit, ipse quoq; à loco intermissionis eius vsque ad annum 1111. omnem consequentiam temporum, & rerum gestarum, quanta potui styli temperantia ordinaui.* Vide iam hic impudentiam Grimmij, asserentis Florimundum mendaci ore dicere Sigebertum in Monasterio Gemblacensi scripsisse. Os tuum mendax est, Grimmi, Nec te iuuat Trithemius: Nam etsi referat in Cœnobio Metensi aliqua eum scripsisse, mendaciũ tamen est, eũ scripsisse ibi Chron: Legerat sane Trith. librũ Sig. de scrip. Eccle-

 siast.

siast. quem allegat, legerat testari in Monasterio Gemblacensi hoc se Chron. scripsisse.

Quamuis autem parum ad rem spectet, vbi scripserit: Calumniatori tamen, qui altero fere verbo me & alios mendaces summa petulantia exclamat, talio reddenda.

Ad rem. Sigebertus prodijt primum ex typographia Henrici Stephani Parisijs anno 1513. cuius editionis tribus vsu sum exemplaribus; In hoc edito exemplari ad annum 854. sic notatur:

Ioannes Papa Anglicus.

Fama est hunc Iohannem fœminam fuisse, & vni soli familiari tantũ cognitam. qui eam complexus est, & grauis facta peperit Papa existens, quare eam inter Pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit.

Vbi nota verba illa: *Ioannes Papa Anglicus*, non poni à typographo, vt verba textus, sed vt sua; sunt enim rubricis notata, quæ typographi sunt: vnde in posterioribus editionibus sunt omissa, & solum est: *Fama est hunc Ioannem &c.*

Quæstio nunc est, an Sigebertus vere hęc scripserit: an vero inserta sint à posterioribus, & quidem ab Henrico Stephano tunc Catholico, vel alio?

Respondeo, certissimis argumentis constare, falso ea verba Sigeberto adscribi. Ita Onuphrius, dicens ea in antiquis veris, &

In notis ad Platinam.

Ger-

...ermanis Sigeberti exemplaribus non ex-
...are?

Coccius tom. 1. Thesauri: *Hanc paren-* Lib. 7. art. 14.
...esim ex Palmerio interpositam nusquam habet
...anuscriptus, & incorruptus Codex.

Genebrardus lib. 4. Chronol. *Quod Sige-*
...rtus id videatur dicere, fictum est, eiq; inspersum.
...t fidem faciunt antiqua eius M. S. exemplaria.
...anc Genebrardus videre poterat illud ip-
...im exemplar, ex quo prima editio prodijt
... Biblioth. Parisiensi S. Victoris.

Sed ad probationem certissimam venia-
...us, & ipsis antiquissimis exemplaribus,
...uibus summæ fidei vir Aubertus Miræus
... edendo Sigeberto vsus est, id doceamus.

Primum est exemplar Gemblacense. *Co-*
...x antiquissimus, ipsius nimirum Authoris manu
...on scriptus, descriptus saltem ex eius, quantum
... litteris pene fugientibus conijcere licet, autogra-
...o. Verba sunt Miræi in præfat. Et nota Si-
...bertum in hoc Monasterio & vixisse, &
...ripsisse.

Aquicinctinum, *à Benedictino itidem Cœ-*
...lij illius apud Duacum Monacho olim exara-
...m, ampliterque auctum. Nota illud: *ampliter*
...ctum, non tamen hac fabula.

Tertius Codex fuit Clar. V. Iusti Lipsij ...
...cpit8, quem pro sua erga nos beneuolentia vten-
...m libens tradidit.

Ita ibidem.

4. *Abrahami Ortelij Cosmographi Regij, eoque vita functo Ioannis Liuinei hominis eruditissimi, & nostri quondam collegæ fuit, nunc à Patribus Societat. Iesu Antvverpiæ adseruatur.* En habes loca non adeo à nobis remota, quæ designat Miræus, ne dubitationi, & malæ fidei locus sit.

De his quatuor exemplaribus sic ad annum 854. in Sigeberto notat Miræus: *Hoc loco nulla in Gemblacensi, Aquicinctino, Lipsiano, aut Orteliano Manuscriptis codicibus, quibus vsi sumus, Iohannæ Papæ fit mentio, imo ne in margine quidem vllius è dictis Codicibus quid tale adscriptum legitur, vt sunt interdum nonnulla recentiore manu ad marginem adiecta. Itaq; certum est, hanc de Ioanna Papissa fabulam Sigeberto nostro falsissime adtribui.*

Arguant, si possunt, Aduersarij Miræum mendacij, sed non nisi inspectis Codicibus designatis.

Deinde producant nobis Aduersarij alia Manuscripta exemplaria eaque vetustate his comparanda, in quibus non alia manu ad marginem adiectum, sed in ipsa serie successionis notatum sit hoc monstrum. Sane neminem ego legi, qui Codicem talem M.S. & locum eius designat. Sed pergamus.

5. In celebri Bibliotheca Oxoniensi extat Manuscriptus Codex Sigeberti, in quo nihil

ihil in textu de hac fabula. Ita testatur Cal-
inista Grimmius, & docet eorum attesta-
ione, qui Codicem inspexerunt, qui & re-
erunt ad marginem, sed & alia manu ad-
cribi ad Benedictum III. hæc verba : *Nota*
ic à Sigeberto nullam fieri mentionem de Papa
oanna, qui, vt asseritur, fœmina fuit, & à Mar-
ino polono in suis Chronicis inter Leonem IV. &
enedictum III. fuisse fingitur.

Quantum vero ad editionem primam
arisiensem, eam non esse puram, sed mix-
am insertis, patet ex ipsa inscriptione ope-
is quæ talis est: *Sigeberti Gemblacensis Cœnobi-*
e Chronicon ab anno 381. ad 1113. cum insertio-
ibus ex historia Galfridi & additionibus Rober-
Abbatis Montis. Vnde dici non potest, ea
mnia ipsius esse Sigeberti, sed ex hac ipsa
ditione prima, euincatur, hoc figmentum
igeberto adscriptum esse.

i. Cum verba illa editionis primæ. *Ioan-*
es Papa Anglicus literis rubris signatè non
nt verba textus, sed typographi, vnde &
n posterioribus editionibus Francofur-
ensi, & Parisiensi ea non inueniuntur,
uam inepte fabula hæc inchoatur : *Fa-*
ta est hunc Ioannem fœminam fuisse, persona
nte non nominata? Cum enim pronomen
unc sit demonstratiuum, demonstrare de-
et aliquid præcedens, id est, Ioannem no-
ninatũ, *Hunc* Ioannem nempe iam dictum.

 Atqui

Atqui nullum verbum de eo fuerat: Ergo ineptissime, & pueriliter author locutus fuisset. Signum ergo est verba illa ab alio esse inserta.

7. Et est ratio fortissima. Hæc Papissa in edito exemplari ponitur eodem anno electa, quo Benedictus III. est electus. At vero hoc impossibile est, cum ponatur sedisse annos duos, menses quinque. Ergo Sigebertus si eam posuisset ante Benedictum, debuisset duos annos eam præmittere. Iterum ad annum 854. scribit Sigebertus. *Benedictus Romanæ Ecclesiæ centesimus secundus præsidet.* Ergo anno eodem, & sequenti non potuit apud ipsum præsidere Ioanna Papissa.

Nugator Grimmius in suo Centone non aliter potest euadere, quam vt dicat, Authorem interdum in computo errare.

Sit hoc ita: at nemo errat scienter; Atqui eodē anno ponere Papissam electā, (& sedisse duos annos & quinq; menses) quo Benedictus III. est electus, esset crassissimus & voluntarius error, & puerū se demōstraret, qui sic insaniret. En quam cum Authoribus ludant Aduersarij, quos alioquin summe velint authenticos, quia de Papissa scribunt.

8. Sequuntur Sigebertum in historia huius temporis, immo ipsa verba transscribunt Vincentius, & Guilhelmus Nangiacus vti conferenti verba ipsa patet: Nec tamen api-

picem de hac Papiſſa in manuſcriptis re-
ererunt: Cur enim rem hanc, quam alij in
igeberto legere potuiſſent, ſuppreſſiſſent?
Exceptio Grimmij nullius eſt momen-
, quod non omnia aliorum temporum il-
ex Sigeberto deſcripſerunt.
Sit hoc ita; Ego de his annis ago, nempe
ıb Leone IV. & Benedicto III. quod ad
m ſufficit. Quare peto rationem, cum
orum Pontificum tempore geſtas res pe-
e verbotenus ex Sigeberto deſcribant,
euter illorum tamen ne apicem de Papiſſa
abeat, vel aſſerendo, vel negando, vel ex-
ıſando, vel ſaltem ex fama referendo.
Quare tacuiſſent, cum eorum tempore vi-
erit Martinus Polonus, qui primus puta-
ır ſcripſiſſe de Papiſſa, & fama tunc exti-
ſſe videatur ſaltē Aduerſarijs, eam fuiſſe?
d nimirum cauſa eſt, quod in manuſcrip-
s illa deeſſent.
Id ſaltem velim, vt Aduerſariorum quiſ-
am antiquum Sigeberti oſtendat manu-
riptum exemplar, qui Papiſſam ordine
mporis ſeruato contineat, & tunc ad
mmum hoc euincent, dubium eſſe, quid
gebertus ſcripſerit; Certiſſimo alias ex his
onſtat Sigeberto hanc fabulam falſo ſup-
oni.
Ad finem Noto, Caluiniſtam Grim-
ium, taxare mendacij me, & alios, quod

dicamus Sigebertum à nullo ante Lutherum citari pro Papissa. Probatq; citari eum à Matthæo Palmerio, non quidem nomine, sed re ipsa, cum eadem verba, quæ Sigebertus de Papissa habet, Matthæus refert.

Impudens & effrons thraso, quousque maledicere perges? Mendax eris, dum id docueris; cum iam constet Sigebertum in veris manuscriptis illa verba non habere, doce quoque Matthæum Palmerium ex Sigeberto verba hæc exscripsisse.

CAPVT IV.

De Ingulpho Abbate, VVilhelmo Malmesberiensi, & Henrico Huntidoniensi Historicis.

CLari hi scriptores sunt horum temporum rerum gestarum in Anglia.

I. *Ingulphus Abbas* scribit historiam Anglicanā ab anno 664. ad annum 1067. Ipse autē obijt anno 1109. Abbas Croilandiæ.

Hic præbet tria argumenta contra Papissam.

Primum desumitur ex alto silentio, dum hunc ipsum annum 855. quo Leoni mortuo dicitur Papissa successisse, tangit, sed de tanto monstro tacet. Ergo agens de Rege Anglorum Ethelvvulpho recenset eius

iter

iter Romam versus, quod contigit anno 854. & 855. vt & Rogerus de Houeden postea citandus, habet: *Accesit ad prosperitatem senij sui, quod inclytus Rex Ethelvvulphus, cum de Roma, vt limina Apostolorum Petri, ac sanctissimum ipsum Leonem multa deuotione vna cum Iuniore filio suo Alfredo peregre visitauerat, nouiter reuertisset &c.* Annon, maxima occasio Ingulpho erat inauditum, & enatum tunc monstrum vel verbo attingere?

2. Extat index ad Ingulphum, vbi Pontifices enumerantur, sed Benedictus III. ponitur Leoni succedere, nulla fœmina intermedia nominata.

3. Leonem IV. ponit 847. electum pridie Idus Aprilis: Benedictum III. anno 855. Vbi ergo locus pro Papissa, cum Leo octo annos regnauerit? Annon clarum hoc ex Anglia argumentum?

2. Sequitur *Guilhelmus Malmesberiensis.* Scripsit hic libros quinque de rebus gestis Regum Anglorum, vsq; ad Henricum Primum. Libro secundo agit de anno 855. *Decessit Lotharius anno Incarnat. Dom. octingesimo, quinquagesimo quinto, Imperij sui trigesimo tertio.* Annon hoc ipsum tempus requirebat, quo fingitur propudiũ Papissę sedē Romanã, toto quasi mundo ludificato occupasse, vt litera Author id exprimeret? sed quid

ex-

exprimeret, quod nondum in cuiuspiam cerebro natum erat?

Rursum in Codice Anastasij extat sub eius nomine vita Hadriani II. vbi eum laudat, quod pluribus Pontificibus mortuis requisitus ad Pontificatum, eum subterfugerit: *sicut post mortem Quarti Leonis Papæ, ita post obitum Tertij Benedicti Pontificis, subire summum Pontificium, nisi ipse diuersis argumentis & exquisitis excusationibus verecunde subterfugisset, cogeretur. Sed cum Nicolaus rebus excessisset humanis, contemptis omnibus excusationibus Hadrianum desiderant.* Et annon ad eius laudem spectasset desideratum fuisse post Ioannem Papissam? An vero, qui tertio tam instanter petitus fuerat, tunc repudiatus fuit? Sed nimirum Leoni IV. non Ioanna Papissa, sed Benedictus successerat. Vides occasionem saltem scribendi de ea fuisse.

3. Sequitur *Henricus Huntindoniensis.* Scripsit historiam Anglicam libris octo. Agens de annis, quibus fingitur Papissa, diuersorum Pontificum tum ante figmenti huius annos, tum post, meminit: sed de Papissa nihil. An non raritas, & nouitas huius monstri digna erat, vt illud calamus exprimeret? sed quid exprimeret, de quo fama non erat?

Ergo huic Centuriæ præclari scriptores

non

non deerant, nec deerat occaſio Papiſſam delineandi, dum annos proſequuntur, quibus ſediſſe fingitur: Cum autem Anglica dicatur, ad Anglicos profeſſores Hiſtoriarum ſpectare magis videbatur eius alicubi meminiſſe. Sed nulli in ea deſignanda ſunt rariores.

CAPVT V.

De Othone Friſingenſi.

INſignis hic fuit hiſtoricus, de quo Bellarminus: *Otho Friſingenſis, inſignis nobilitate, pietate, & doctrina, Fuit Henrici Quarti Imperatoris nepos, Henrici Quinti ſororius, Conradi Regis frater vterinus. Friderici primi Patruus, initio Monachus fuit Ciſtercienſis, ac paulo poſt Abbas Morimundenſis, deinde Epiſcopus Friſingenſis, tandem in eo ipſo Monaſterio pie Deo animam reddidit anno Domini, milleſimo, centeſimo, quinquageſimo nono. Scripſit libros ſeptem Chronicorum ab orbe condito, vſque ad annum Domni milleſimum quadrageſimum ſextum.* *Lib. de Script. Eccleſiaſt.*

Magnum authoritatis pondus adferet Illuſtris adeo Hiſtoricus, huic quæſtioni, cum diligens fuerit inquiſitor veritatis, annoſque huius Papiſſæ attigerit.

Hunc authorem, prout prodijt ex editione Argentoratenſi anno 1515. ad ſe trahunt Aduerſarij, eo quod in Catalogo Regum & Pontificum ad finem lib. 7. cap. 35. inter

inter Ioannẽ VI. & Sisinnium habeat hæc: *Ioannes septimus Papa fœmina.*

Arripio editionem hanc anni 1515. quo tempore, inquit Grimmius Caluinista, iuxta communem Papistarum sententiam omnes homines Papistæ fuerunt, qua in re mentitur: nouimus enim tunc Hussitas fuisse. Quæritur modo, Cuius hic sit Index? Othonis, an alterius? Audiamus Correctores huius exemplaris: In erratis Annalium Othonis sic notant: *In capite vltimo, quod non videtur Othonis, sed alterius cuiusdam esse.* At in eo hic Catalogus est. Fatetur & Antagonista Grimmius hunc Indicem post Othonis mortem confectum esse. Ergo ex hoc indice authenticum sub nomine Othonis testimonium deduci non potest, mendaciterque agit Grimmius; dum ex hoc Catalogo docet Othonem de Papissa scribere.

Lib. 1. de Papissa pag. 193.

Sed ostenditur vere Othonem Frisingensem Catalogum hunc non scripsisse.

1. Cum hic Otho ab omnibus illustris habeatur scriptor, quomodo inter Ioannẽ VI. & Sisinniũ ponere potuit fœminam cõtra fidẽ omnium Authorum; Nullus enim in mundo author vnquam est auditus, qui successorem Ioannis VI. faciat, cum eum natione Græcum fuisse constat, dictum Ioannem septimum?

2. Cõmuniter ponitur Papissa circa a. 855.

At

ıt Ioannes VII. inter Ioannem VI. & Si-
nnim ſedit circa an. 705. id eſt, centum &
uinquaginta annis ante. Sane deſipere de-
uiſſet Author ita craſſe errans.

3. Poſt Leonem IV. immediate ponit Be-
edictum III. At ibi reponi debuiſſet Papa
emina, ſi vel vere fuiſſet, vel ſaltem fama,
opinione Othonis.

4. In ipſa horum annorum hiſtoria, ſiue
annis VII. aut Siſinnij, ſiue Leonis IV. &
enedicti III. ne verbo quidẽ huius mon-
i meminit, lib. 5. rerum ab origine mundi
ſtarum c.13. meminit Sergij Papæ. Ca.14.
onſtantini. At inter hos ſunt Ioannes VI.
VII. & Siſinnius. Annon occaſio erat de
termedio inter eos tam pudendo mon-
o agendi, ſi fuiſſet vere? Rurſum li. 7. c.2.
it de anno 855. ſed nihil de Papiſſa.

5. Et eſt grauiſſimum & inuincibile ar-
mentum. Finit author librum ſeptimum
nno 1146. Eugenij III. Pontificatus ſe-
ndo, vt eſt lib. 7. capite 34. Iam ve-
adiunctus Catalogus ſubſequens ca.35.
on recenſet Pontifices ſolum ad Euge-
um III. ſed ad Leonem decimum &
aximilianum I. ſub quibus liber eſt excu-
, adeo vt trecentis & ſeptuaginta fere an-
Catalogus hic recentior ſit Othone Fri-
genſi. Quanta ergo ſtultitia Catalogus
Othoni adſingitur, & ex eo argumentũ

pro

pro eius sententia de papissa depromitur? Pudor est ita agere, & vel summæ malitiæ, vel maximæ ignorantiæ indicium.

6. Ipse author ante hunc Catalogum finem se imponere dicit libro septimo, Ergo adpositititius est. Nā c. 35 sic ait ante hūc Catalogum: *Omnes hi* (enarrati Monachorum ordines) *huius septimi operis terminus existant. Nosque ad ea, quæ sequuntur, quis scilicet finis Ciuitati Dei maneat, quæ perditio reprobam mundi ciuitatē expectet, dicenda* (nempe li. 8.) *precibus suis aptos efficiant. Amen.* Ergo Catalogus ille supponitur illi.

Cum ergo certissimo hinc constet, Othoni supponi hanc fabulam, neque dum annorum historias attingit, quibus prodigiosum hoc monstrum fuisse fingitur, quid.. quam de ea habeat, nos ex tam alto eius silentio colligamus, tunc opinionem eius monstri nondum natam esse, & eos, qui Othonem de Papissa testari dicunt, mendaces esse.

CAPVT VI.

De Ioanne Zonara Græco.

Ad annū 1118. DE eo Bellarminus: *Ioannes Zonaras Monachus Græcus scripsit tres libros Annaliū, quibus complexus est historiam vniuersalem ab Orbe Condito vsque ad exitum Alexij Comneni Imperatoris Græcorum, qui obijt an. Dom.* 1118.

De

De quo Authore notandum, Græcum eum fuisse, id est, Patriarchis suis in schismate fauentem, vnde Constantinop. Ecclesiam vocat Orthodoxorum Ecclesiam: sic enim loquitur lib. 3. Annal. *Eustatius Patriarcha moritur; cum Orthodoxorum Ecclesiæ octo annis præfuisset.* Refert ibidem successisse illi Alexium. De cuius morte agens ait. *Cum sedem illam annos octodecim quiete tenuisset, Michael cognomento Cerularius in eius locum est suffectus.* Nempe sub Constantino Monomacho, de quo ibidem, quæ verba nobis seruient.

Ex hoc Authore duo sumo argumenta, vt probemus figmentum apud Zonaram esse de Papissa, quod narratur.

Primum desumitur ex historia annorum, quibus sedisse fingitur. Describit lib. 3. Annal. & electionem & mortem Methodij, sub Michaele Imperatore Græcorum (qui tempore Sergij, Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. regnauit,) memorat electionem Ignatij, eiusque per Bardam eiectionem, & Photij in Sede Constantinopolitana substitutionem, narrat Papæ Romani legatos contra Iconomachos, à Barda suasos, vt in sententiam de deposito Ignatio & Photio substituto irent. Rursum fol. 111. narrat Photij eiectionem per Basilium Imperatorem successorē Michaelis, & Ignatij *fol. 109. & 110. mihi.*

 testi-

restitutionem. Annon hic occasio memorabilis portenti in sede Potificia toti mundo imponentis mentionem faciendi, cum tempore Ignatij, qui sub Leone IV. creatus est Patriarcha, sedisse fingatur? At nihil de eo Zonaras, Sedi Romanæ alioquin non amicus: Tacuit, quia nulla tunc de eo apud Græcos etiam, Pontificiæ Romanæ Sedi infensissimos hostes fama fuit.

Secundum argumentum sumitur ex Patriarchatu Michaelis Cerularij, & Imperio Constantini Monomachi, de quo eodem lib. 3. Zonaras: Cum eo tempore Leo IX. Michaeli palam obijceret, fœminam sedisse *scelere detestando & incredibili*, in Sede Constantinopolitana, idque fama publica constare; si quid à Michaele, vel Complicibus fuisset ad sedis suæ honorem replicatū, conueniebat sane historicum Græcum id referre, & honorem Constantinopolitanæ Ecclesiæ propugnare; vel saltem regere; nó vocari debere *scelus incredibile*, quod de Sede Romana in Papissa auditum fuisset, & creditum. At de hoc ne apex in Zonara. Quæ quæso silentij causa fingi potest, si tempore hoc vel rumor aliquis de Romana Papissa ad aures Zonaræ deuenisset? Certe si sine passionis liuore oculo puro ad veritatem intento res hæc consideretur, non facile sibi quis persuaserit, Græcos Sedis Romanæ inimi-

icos calamum temperaturos fuisse à
nano illo monstro depingendo, maxi-
obiecto scelere de electa fœmina in Se-
Patriarchali Constantinop: velut inau-
o; vel incredibili.

CAPVT VII.

De Hugone Floriacensi, & Florentio VVigorniensi.

Ecenset hos duos Iodocus Coccius tom. 1. Thesauri lib. 7. art. 14. ad an-
um 1050. & 1100.

1. *Hugo Floriacensis* (ita dictus à Floria-
o Ord. S. Benedicti Cœnobio haud pro-
ul à Blesis in agro Aureliano ad Ligerim
to, cum ante, Hugo à Sancta Maria, quod
odie phanum S. Hilarij appellaretur, vt
estatur Robertus Cœnalis hist. Gall. lib. 1.
erioche 9.) floruit sub Rege Galliarum
Ludovvico VI. cognométo Crasso, qui sub
annum 1136. Parisijs obijt, sub quo & flo-
ruit Iuo Carnotensis, cui Marquardus Fre-
herus, Chronici huius Hugonis fragmen-
tum falso adscribit.

Edidit hic Hugo Chronicon à Monar-
chia Assyriorum ad mortem circiter Lo-
tharij Imp. id est, ad tempus quo Papissa
sedisse fingitur. Editum est illud integre,
cum eruditis Notis & Præfatione Bernar-
di Rottendorffij Med. Doct. Monasterij

VVestphaliæ proximis autumnalibus Nũdinis ex membranis antiquissimis. In eo pag. 180. de immediata Pontificum temporis huius successione sic habet:

In Romana vero Cathedra memorato Papæ Gregorio Sergius successit, & Sergio Leo IV. & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus.

Vbi intermedia Papissa? Nempe ignota erat Hugoni Chimæra hæc, nec Leoni Thais vlla, sed Benedictus vere successit. Verba sane clara sunt, nec tergiuersationem admittunt.

Citauit hunc authorem contra fabulam hanc Iudocus Coccius tom. 1. Thesauri. lib. 7. art. 14. De authoritate eius vide latius dictum Rodendorffium in Præfat.

2. *Florentius VVigorniensis* in Chronicis: *Anno* 843. *Gregorius Papa obijt.* 844. *Sergius CI.* 853. *Leo CII. post Petrum. Benedictus CIII. post Petrum. Sanctus Nicolaus Papa CIV. Hadrianus Papa CV.* &c. Nihil hic de Ioanna fœmina nec in nomine, nec in numero Pontificum. Quid ad hoc respondeatur à quopiam, non memini.

Maneat ergo manifestum hac tertia annorum Centuria nullum vere, & indubitate produci testem pro Papissa fœmina.

TRA-

TRACTATVS V.

SILENTIO SCRIPTORVM quartæ annorum Centuriæ ab anno 1155. ad 1255. reijcitur figmentum Papissæ.

MONSTRO *Papissæ monstrosiores mihi illi videntur, homines, qui post tam euidens tot seculorum silentium sibi adeo in hoc monstro complacent, vt inuitis tot vicinis eius tempori scriptoribus volunt fuisse, quod nec hoc tempore rumore minimo ad aures cuiuspiam venerit. Ergo pergamus, & historiæ facem nobis prælucentem sequamur.*

CAPVT I.

Producitur Catalogus Nicolai Moniacutij vsque ad annum 1170. circiter.

PRoducit hunc Catalogum Onuphrius Panuinius in annotat. ad Platinam: *Non alienum à meo instituto esse mihi visum est, hic subijcere breuem Romanorum Pontificum Cata*logum, versibus à Nicolao quodam Moniacutio Canonico *Regulari Lateran. qui hoc tempore vixit, exaratum, ad incorrupta nomina Pontificum, rectamq́ seriem conseruandam maxi-*

Ad Alexandrum III. qui electus est an. 1159.

maxime facientem, & ad plura confirmanda aptissimum, quem ex antiquo Lateranensis basilicæ archiuo accepi, est vero huiusmodi.

Nicolai Moniacutij Canonici regularis Lateranensis Ord. S. Augustini versus de Romanis Pontificib. ad Alexand. Pap. III.

Si vis Pontifices Romanæ noscere sedis,
Carminibus nostris perlectis scire valebis,
Primo Papatus Petrus est in sede locatus,
Qui consederunt, Linus, Cletusque fuerunt.
His Clemens iunctus, simili fuit ordine functus.
Hinc nutat mundus, sit quartus, sitne secundus.
Hinc Anacletus præsedit, hinc Euaristus, &c.
Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus.
Pontificem dictum, post quos legimus Benedictum.
Hinc Nicolae tuo tua gaudet Roma decore.
Cuius Hadrianus post mortem fulsit honore.
Octaui viguit post hoc doctrina Ioannis. &c.

Vbi Papissa post Leonem IV. Vsque ad sui temporis Pontificem Alexandrum III. Grimmius respondet, hunc Moniacutium numerare inter Pontifices Leonem VIII. quod tamen reijcit Baronius, ac scriptorum errorem appellat.

Verum quid hoc ad rem? Disputamus de Papissa, ac volumus opinione Moniacutij inter Leonem IV. ac Benedictum III. eo tempore non fuisse interpositam eam. hoc satis nobis est.

Dein-

Deinde confirmatur noſtrum argumentum ex reſponſo Aduerſarij, ſi ſcriptorum præcedentium errore deceptus Moniacutius Leonem VIII. numerat inter Pontifices, eorum quoque ſcriptorum errore Papiſſam numeraſſet, ſi in ijs inueniſſet; At non poſuit. Ergo ſignum eſt in illis eam non inueniſſe, ſicut Leonem VIII. in quibuſdam inuenit.

CAPVT II.

De Honorio Auguſtodunenſi.

CLaruit hic *Auguſtodunenſis Presbyter* anno Domini 1220. ſcripſitque Hiſtoriarum ſummam, ſiue Chronicon Magnum, excuſum Baſilieæ anno 1544. In Chronico hoc de ſex ætatibus mundi hæc habet:

In ſerie Romanorum Pontificum &c.
Leo annos octo, menſes nouem, dies ſex.
Benedictus annos duos, menſes ſex, dies ſex.
Nicolaus annos nouem, menſes 6. dies 30. &c.

Verba hæc clara ſunt referentia immediatam ſucceſſionem Pontificum. Vbi intermedia Papiſſa inter Leonem & Benedictum? Cur eam ſubticuit?

Reſp. Grimmius, eam ob cauſam ſubticeri, quod inter Pontifices non numeretur. At probet ex Honorio, ideo ſubticeri. An non hic occaſio ſaltem requirebat, huius inauditi portenti vel verbo

mentionem habendi? Non habuit, quia nec aliorum scriptis, nec vel leui rumore ad aures eius deuenerat.

CAPVT III.

De Conrado Vrspergensi, & Rogero de Houeden.

1. CONradus *Abbas Vrspergensis* floruit circa annum Domini 1230. scripsit historiam à primo Rege Assyriorum Belo, vsque ad Fridericum II. Imperat. id est, ad annum 1229. De quo Chronico, eiusque authore, vide, quæ fuse habet Gretserus lib. 2. Variarum. cap. 10. Vtor editione Lutheranorum cum præfat. Melancthonis, & paralipomenis à quodam Ecclesiæ Catholicæ hoste, & Luthero apprime addicto adiectis.

Is ergo Vrspergensis Abbas in Chronico ad annum 857. hæc habet: *Leo Papa migrauit, cui Benedictus Papa CIV. successit, & ipse eodem anno decessit. Anno 858. Nicolaus Papa CV. ordinatur Episcopus annis nouem.* Hæc ille. In cuius opinione, cum Benedictus ponatur obijsse eodem anno, quo Leo migrauit, omnino impossibile fuit, vt putauerit fœminam intermediam fuisse inter Leonem IV. & Benedictum III.

2. *Rogerus de Houeden* scriptor Anglicanus insignis, scripsit duos libros Annalium.

Is

Is parte priore de anno 855. enarrat *Ethelvvolphum Regem Angliæ decimam partem totius regni Deo dedisse, Romam perrexisse, filio Elfrido præmisso, anno integro ibi remoratum esse, quo peracto ad patriam remeasse.* Annon hic locus, & occasio de Papissa agendi, cuius electioni necesse fuisset interfuisse Ethelvvolphũ, qui toto anno 855. quo Papissa ponitur electa, Romæ fuit vsque ad annum 856. An tale monstrum in calamo hæsisset? Hæsit plane, quia Chimæra hæc nullibi in orbe fuerat; nec eius fabulæ fama vlla ad eum peruolarat. Quam ex hoc Rogero & Ingulpho conuincitur falsitatis VVolphius Cent. 9. vel alius apud ipsum dum Ethelvvolphum hunc à Ioanna Papissa coronatum dicit; Cum sane Rex fuerit, antequam Romam venit, & quidem senex Leone adhuc viuente.

CAPVT IV.

De Helinando, Alberto Stadensi & Vincentio Burgundo.

I. HElinandus Gallus Monachus scripsit historiam ab orbe condito vsque ad annum 1212. libris quadraginta octo. An vero fama Papissæ, & inauditi eius facinoris aures eius subiuerat? Sane agens de temporibus figmenti huius ne apicem de ea habet.

Obijcit Grimmius, Antoninum in historia sua potissimum Helinandum fuisse sequutum, teste Bellarmino, qui tamen hanc fœminam ponit.

At non ponit eam testimonio Helinandi, sed Martini, si in Helinando vetustiore legisset, cur non maiori fide eum citasset? Deinde sequitur eum & Vincentius; at ille non solum non narrat hanc fabulam, sed docet Leoni Benedictum successisse, vt dicemus. Impertinens ergo & futilis ea est responsio Grimmio nugatore digna.

2. *Albertus Stadiensis* vixit circa annum Domini 1240. Is in Chronicis temporum Papissæ fol. 34. enumerans Pontifices sibi succedentes hæc habet: *Leo quintus* (qui vere IV. fuit) *natione Romanus sedit annis VIII. mensibus VI. diebus tribus. Obijt XVI. Kal. Augusti. Papatus cessauit mensibus duobus, diebus duodecim. Benedictus III natione Romanus, patre Petro sedit annis duobus, mensibus sex, diebus decem. &c.*

Vbi hic locus pro Papissa, eiusque ad duos annos, & quinque menses Pontificatu? Aperte enim inter Leonem IV. quem quintum ille nominat, & Benedictum III. solum duos menses, & dies duodecim vacantis sedis ponit.

Rursum idem Albertus fol. 92. *Anno Domini 855. Leo Papa discessit, cui Benedictus Papa*

CIV. *suc-*

CIV. succedens & ipse eodem anno vitam finiuit. Si Benedictus Alberti relatione eodem anno finiuit, quo Leo, Ergo apud eum opinio de Papissa cum duobus annis, & mensibus aliquot ne minimum quidem locum habere potest. In qua narratione Albertus quorundum errorem secutus est, cum superius dixerit Benedictum sedisse duobus annis. Vnde mirari satis non possum impudentiam & mendacem spiritum Caluinistæ Grimmij, & Anonymi contra Iesuitas, qui Albertum hunc velut authentice de Papissa attestantem ad se trahunt, eo moti argumento, quod cum duos Pontifices sub nomine Ioannis, nempe VII. & IX. nominet, VIII. non habeat, vnde vult Grimmius Papistas ex eo excerpsisse, quod Octauus fœmina fuerit.

Sed mendax erit Grimmius, donec crimen illud falsi de nobis euincat. Quod Ioannis VIII. nō meminit, Papissam nō euincit, Papam enim Ioannem VIII. vere ponit, quamuis eum quorundam errorem sequutus, Nonum appellet, sic & Leonem V. dicit, qui re vera quartus est. Nos ipsa eius verba supra posuimus, quæ necessario eius opinione Papissam excludunt. Quid ergo coniecturis opus, vbi verba eius in contrarium sunt expressa? sic ludunt Aduersarij in Authoribus.

2. *Vine*

2. *Vincentius Bellouacensis*, siue Burgundus, vixit circa annum 1240. & obijt anno 1256. teste Vaseo, & Antonio Senensi, quo tempore etiam viuebat Martinus Polonus, sed ad annos fere triginta superuixit. Hic speculi Naturalis lib. 32. cap. 84. hæc de successione Pontificum habet: *Eo tempore Gregorio successit Sergius. Sergio successit Leo. Leoni Papæ Benedictus successit.* &c.

Respondet Grimmius; Vincentium omisisse & Hadrianum II. & Landum, quid ergo mirum, si Papissam omiserit? Quid nugator ais? Non maior erat ratio, monstrum hoc, & facinus eius inauditum, quo toti quasi mundo imponebatur, describendi, quam communis ordinis Pontificem? Numquid inaudita, & toti mundo stupenda digna magis sunt relatione, quam communia? Quidquid sit, dicit Vincentius expresse Leoni Papæ successisse (non Thaidem hanc,) sed Benedictum, eodem tenore, quo dicit Gregorio successisse Sergium, & Sergio Leonem.

Nondum ergo ad horum aures, multo minus ad calamos Papissa hæc deuenerat.

CAPVT V.

De Helmoldo, Guilhelmo Tyrio, Guilhelmo Neubrigiensi, Nicetæ Choniate.

1. HElmoldus Canonicus Butzouiensis, historiam conuersæ ad veram Christi re-

ſti religionem gentis Heneræ, ſiue Slauicæ ad littus maris Balthici circa Lubecam, & in ditione Ducum Megapolitenſium recitat, & à Caroli Magni bellis, quibus in Saxoniam Chriſti religio propagata eſt, vſque ad Friderici Barbaroſſæ tempora, & annum Chriſti 1168. peruenit. Ita Chytræus de lect. hiſtoriarum.

Hic Helinandus complectitur hiſtoriam temporum, quibus Papiſſa ſediſſe fingitur; at ne γρὺ de ea.

Grimmius reſpondet, non ſe videre, quid eius ſilentium valeat pro nobis.

Melius ſane reſponderet, ſi rotunde profiteretur; non ſe videre, quid reſpondeat. Non valet ſilentium in re tanta, & à ſeculis inaudita, quæ omnium calamis depingi ſatis non poterat? Et quis hiſtoricorum non libenter rara exprimit? Non tacuiſſet ſane, ſi rumor huius figmenti ad aures eius perueniſſet.

2. *Guilhelmus Tyrius* Archiepiſcopus, ſcripſit hiſtoriam de bello ſacro ab anno Domini 1095. ad 1180. quo vixit.

3. *Guilhelmus Neubrigienſis* ſcripſit hiſtoriam Anglicanam, ab anno 1066. ad 1297. quo vixit.

3. *Nicetas Choniates* ſcripſit hiſtoriam ab anno 1118. vſque ad 1205. quo viuebat.

In horum hiſtoria ne apex quidem, vel quæſita occaſio huius fabulæ. At,

At, inquit Grimmius Caluinista, quid mirum, cum posteriorum annorum post Papissæ Pontificatum, gesta prosequantur.

Resp. 1. Authores prædictos ad hoc imprimis adduci, vt constet non defuisse hac annorum Centuria præclaros historicos; qui rem hanc fama haustam litteris potuissent consignare.

2. Etsi ex professo non prosequantur annos Papissæ, an ergo omnes, qui eius meminerunt, annorum eius gesta ex professo describunt? quasi mira & inaudita quæsita; vel data occasione non possint historiæ alterius temporis accommodate sæpe interseri; maxime, quando de similibus strophis, & dolis agitur.

3. Occasio erat, quoties de electo Pontifice agebant, & sedis perforatæ, & probandi sexus vsus mentionem congrue mentionem facere potuissent, simul & Papissæ, vnde mos hic profluxisset.

Sufficit nobis tot præclaros huius temporis historicos fuisse, qui rem, si vere acta fuisset, annotare commode potuissent, vt defectui scriptorum, vel etiam occasioni monstrum hoc describendi, adscribi non debeat silentium de Papissa.

CA-

CAPVT VI.

Defenditur Gothefridus Viterbiensis à calumnia enumeratæ Papissæ.

GOdfridus *Viterbiensis* scripsit Chronicon vniuersale, quod appellauit Pantheon, distributum in partes viginti, opusque illud ab initio mundi ad annum Domini 1186. quo vixit, continuauit.

Ex huius Godfridi historia sumunt Catholici argumentum, contra Papissæ figmentum, quod author, dum annorum istorum gesta prosequitur, de eius successione plane taceat.

E contra Grimmius, eũ aduocat, vt certũ pro Papissa testem, eo quod in eo hæc verba inserta legat: *Papissa Ioãna nõ numeratur.*

Ergo quæ huc faciunt, ex Viterbiensi fideliter ponam. Chronici parte 17. fol. 461. &c. vsque 466. ab anno 815. ad 874. nullius Papissæ Ioannæ meminit. Folio vero 543. parte 20. Chronici hæc verba habet:

Leo quartus Papa sedit annis octo, mensibus 3.

Et è regione, eadem pagina in altera columna num. 544.

Item Lotharius Imperator cum filio suo Ludovvico.

Et mox postquam de Leone verba fecit, subiunguntur num. 543. hæc:

Papissa Ioanna non numeratur, sequitur ibidẽ *Benedictus Papa sedit annis duobus*. Hæc ibi.

Iam

Iam vero parte 20. Chronici sui in distinctione temporum ne verbo quidem meminit Ioannæ Papissæ, sed immediate Leoni subiungit Benedictum, eius verba hæc sunt columna 2. num. 576.

Leo Papa sedit annis 8. mensibus 5. sub eodem Lothario & filio eius Ludovvico.

Benedictus Papa sub eodem sedit annis duobus.

Hæc sunt, quæ Viterbiensis suggerit, nec in eam rem plura habet. Circa hoc difficultas nunc est, cuius illa sint verba: *Papissa Ioanna non numeratur?* At certe, quis non videt, ea esse Catholici alicuius ex eo demonstrantis, nondum constitisse fabulam hanc, adeoque pro nobis ea faciunt? Nam sensus est; Papissa Ioanna non numeratur, nempe à Godfrido.

Probatur 1. Nam ne verbo quidem mentionem huius fecerat, nec quid per Papissam Ioannam intelligatur, dixerat; valde ergo absone, sine vlteriori declaratione hęc verba nude apposuisset. Et annon memoratu dignissimum erat, inauditum hoc monstrum, horrendumq; facinus describere? Et an historicus non tara se ctetui?

2. Benedictum ponit sub eodem Imperatore Lothario, sub quo Leo sedit; At si Papissa fuerit, constare id non potest: Nam Lotharius, vt ex Rhegínone, & alijs veteribus constat anno 855. filijs diuiso Imperio, ingres-

ingressus est Prumiense Monasterium, ac eodem ipso anno, quo Leo, mortuus est, vt & Epitaphiũ eius habet. Ergo si Papissa successit Leoni, non potuit post biennium Benedictus sub eodem Lothario, iam ante biennium defuncto, sedere. Sequitur proinde verba illa Godfridi non esse.

3. Nomen *Papissæ* ignotum tunc fuit, & à posterioribus solum fictum, maxime post Lutherum celebratum, est ergo probabile nomen hoc à Catholico quodam insertum, immo mihi certum.

Sed demus illa esse Godfridi, an ideo ex eius opinione eruetur hoc monstrum? Minime. Nam duæ rationes dari possunt, cur Papissa Ioanna non numeretur, vel quia reuerà non fuit & rumore solum sparsum est; vel, si fuit, indigna sit, quæ numeretur. Iam neutra ex his rationibus exprimitur, quam absurde nunc ex his verbis altera solum ratio Godfrido tribuitur? Sed valeant nugæ Grimmianæ. Ad rem. Vel Godfridus Viterbiensis testatur authentice eam fuisse, vt authenticus eius testis dici possit, vel non? si non: Ergo mentitur & fallit Grimmius, dum in authenticum Papissæ testem eum citat. Si vero dicatur testari; citentur verba, quibus eam fuisse dicit. At in æternum non dabit verba, quibus eam fuisse, & annis duobus sedisse, vel similibus verbis,

planum faciat. Quia non sequitur: Ioannes Papissa non numeratur, Ergo fuit. Et tamen ita præclare Licentiatulus hic concludit.

CAPVT VII.

Detegitur fucus Anonymi, & Grimmij in testimonio Richardi Cluniacensis.

ANonymus de Ioanna VIII. contra Iesuitas, & Grimmius vt testem pro Papissa authenticum producunt Richardum quendam Cluniacensem, quem Trithemius circa annum 1160. refert scripsisse insigne opus historiarum; sed Anonymus lium eius Authoris tractatum allegat, sub tulo: *Pontificum series*, in quo similia, immo adem fere verba, quæ in Martino Polono, guntur, ait Anonymus, huncque librum xistere in Bibliotheca Vaticana; Verba utem Richardi ex libro hoc ante annos edecim descripsisse honestum quendam virum, ac ostendisse sibi.

Consentit Grimmius. Sed cum affirmanti incumbat probatio, manebit hoc adiunctum mendacijs Grimmianis, donec ipsa verba, eaque non ad marginem adiectitia, sed genuina Authoris ex ipso textu producat, insuper quis ille liber sit, cuius sane Trithemius

themius non meminit. Itaque verba inania ſunt, quæ de hoc Richardo dicuntur: cum de hoc huius Authoris libro nihil certi ex ea Bibliotheca poſt requiſitionem habere potuerimus.

Et vide leuitatem Grimmij. Teſtantibus noſtris de manuſcriptis, etſi Codices ipſos, & quidem in locis nobis vicinis deſignent, reſpondet. Teſti inimico, etiam iurato fidem non habendam.

An vero infantes nos putat, vt Anonymo hoſti ad ſolam eius relationem credamus? Sane ante Anonymum neminem memini, hunc Richardum pro Papiſſa producere.

Valeat ergo Anonymus, valeat Grimmius, cum fictitia hac *Pontificum ſerie* ſub nomine Richardi Cluniacenſis. Non ille mos probandi eſt. Nominetur Codex, ſimul & verba atteſtantia Papiſſam aliquam fœminam inter Leonem & Benedictum ſediſſe.

Atque ex his liquidiſſimum eſt, nondum totis his quadringentis poſt Papiſſæ regimen confictum annis, authentice vllum documentum, aut teſtimonium reproductum, quo Papiſſa euincatur.

TRACTATVS VI.

QVOMODO AVTHORES post quadringentos primum annos hanc fabulam proponant.

BENE *Propertius:* Maxima de nihilo nascitur historia:

Nam post quadringentos annos, quasi è nihilo educta est hæc fabula in cerebro humano, vel quasi ex atomis falsi rumoris conflata. Ergo hoc Tractatu recentiores audiamus, & fabulæ vel incertitudinem, vel inconstantiam ponderemus.

CAPVT I.

De Martino Polono.

Tom. 13. Annal. ad an. 1278. MArtinus Polonus Ord. Præd. Pontificis Pœnitentiarius, Archiepiscopus Gnesnensis, vt habet inscriptio lapidis sepulchralis, & Annales Præd. Poloniæ apud Bzouium, author vulgo habetur fabulæ de Papissa Ioanna, qui & sæpe videtur citari à posterioribus. Quo auté tempore vixerit, & scripserit diuersæ editiones eius incertum faciunt; Nam quæ opera Suffridi Petri pro-

prodijt Antvverpiæ anno 1574. ex varijs manuscriptis Codicibus, peruenit ad annum 1320. in Ioanne XXI. quem vulgo XXII. faciunt, vt Papissæ tempus subsequutus videatur 470. annis. Vbi nota impudentiam Grimmij, qui ex eo me & alios, calumniatur, quod eum constituamus post tempus Papissæ 430. annis.

Hic ergo Martinus post 430. annos, in excuso exemplari primus, quod constat circumstantias huius Papissæ persequitur. Sed enim cum notarem Pontacum insignē historicum Gallum lib.2. Chronol. dubitare, num adspersum illi sit, & Petrum Coton lib.2. Institut. dicere id probabile esse; immo Bristovvm Anglum in replicâ, narrare prouocatum se à Caluinista quodam ad Poloni Manuscriptum exemplar, sed in eo non inuentum hoc figmentum; Cum hactenus cum Bellarmino authorem eum huius fabulæ putassem, cœpi & ipse dubitare, & diligentius rem inquirere.

Incidi imprimis in Bzouium loc. cit. affirmantem, in M.S. eius autographo nusquam narrationem eius inueniri. Ita Polonus de Polono. Deinde lustrans Notas Suffridi Petri in Mart. Polonum, inuenio ipsum testantem Papissam, *in Manuscripto Codice Abbatiæ Tongerloënsis, nec numerum nec nomen habere in Catalogo Pontificum, sed Leoni*

præcedenti historiam eius velut fabulamentum appendicis loco adijci. Et addit: *Qui in alios Manuscriptos Codices incidunt, ipsi facile comperient, ne apud hunc quidem Authorem illi esse locum.*

3. Cum anno 1618. prodierint altera editione græco textu aucta Concilia omnia Generalia & Prouincialia, cum Notis Eximij M.N. Seuerini Binij, cum quo & rem hanc coram communicaueram, curiose, quid de hoc notaret, scrutatus sum; Ille autem post neruosam fabulæ refutationẽ, hæc de Martino Polono addit. *Paulo ante, quam hæc postrema Conciliorum editio emitteretur in lucem, Manuscriptum exemplar antiquißimum Martini Poloni hac fabula carens Reuerendus in Christo Pater, ac F. Ioannes Cæsar ad me transmisit, vt ad propulsandam à Sede Apostolica grauem calumniam typis Gerardi Greuenbruch expressum toti mundo publicaretur, & apud me tamquam sequestrem aut depositarium M S. ipsum detineretur, nullam corrupti exemplaris suspicionem esse videbit, quisquis apud me illud perlustrare voluerit.* Ita ille. Et addit: *Manuscripti, & antiqui Indices Pontificum plurimi, quos vidi & contuli inter Leonem IV. & Benedictum III. nullum alium Pontificem interponunt, nullaque ibidem rasuræ nota conspicitur.* Quæ magnum contra Papissam argumentum præbent.

Tom. 3. Concil. parte 1. sect. poster. pag. 402.

4. Ta

4. Tandem nactus sum excusum huius Manuscripti exemplar Coloniæ, deductum ad annum 1268. In quo ad annum 855. hæc notat dictus Cæsar: *Candide Lector, ne mireris hoc loco prætermitti Ioannem, quem vocant Octauum, fœminam ortam, vt fabulantur, Moguntiæ. Non erasimus è Codice nostro, vt fortasse criminaberis, verum candide ea, quæ scripta inuenimus, edimus.* De hac re latius ipse in præfatione. Neque annorum calculus aliud patitur: Ponit enim Leonem ad annum 847. cum octo annis, mensibus tribus; Benedictum III. ad annum 855. cum duobus annis, & quinque mensibus. Nicolaum ad annum 858. in qua annorum supputatione impossibile est vel annũ habere pro Papissa. Atque hinc probabile satis est, apud Martinum hunc, fabulæ huic non esse locum.

Verum obstare solum videtur, quod Antoninus, Platina, author Fasciculi temporum, & alij, expresse Martinun citent, & nõ dubium, quin ex Manuscriptis, nisi forte Martinus ille alius sit, & errore nominis huic Martino Polono suppositum fuerit. Hæreo itaque, nec quid certo dicã habeo, nisi, quod antiquioribus exemplaribus Manuscriptis sit standum, quale hoc est, in lucem anno 1616. Coloniæ typis expressum.

Sed concedamus Martinum Polonum hæc post annos 400. scripsisse, at qua fide? Audi:

Audi; *vt asseritur: vt dicitur: creditur*: Ergo sola fama nititur: At illa sola authentiam non facit.

Obijcit vero Caluinista Grim. In prologo citat Martinus Authores, quos sequitur, inter quos Richardum Cluniacensem, & Godfridum Viterbiensem citat. Ergo non sola fama, sed illorum authoritate nixus hanc historiam prodit.

Resp. Impudenter mentiri Grimmium, si dicat Polonum in hac Papissa niti eorum authoritate, neque verbo id prodit Polonus; Nam in ipsa relatione nullum authorem huius fabulæ prodit; solum enim ad famam recurrit. Certe loco: *vt asseritur*, quã facile & maiore veri similitudine dixisset; vt Richardus scribit, vt Godfridus refert; Nihil horum, sed; *vt asseritur*. Deinde falsum est Richardum, aut Godfridum id habere, vt supra ostensum est.

Atque hæc de Martino Polono. Vnde constat, eum vt indubitatum Papissæ testem produci non posse.

CAPVT II.

De Matthæo VVestmonasteriensi, & Aenea Syluio.

1. MAtthæus VVestmonasteriensis floruit circa annum 1370. scripsit flores historiarum, & quidem post Martinum Polonum,

lonum, quem & expresse in multis sequitur, nec tamen occcasione data vllam huius Thaidis mentionem facit, quin Benedictũ III. immediate successisse Leoni IV. expresse tradit & indicat, Verba eius sunt: *Anno* 847. *Leo Papa sedit in Cathedra Romana annis* 8. *mensibus tribus, & cessauit sedes duobus mensibus. Anno* 855. *Leone Papa defuncto succeßit ei Benedictus annis duobus, mensibus sex, diebus decem. Anno* 858. *defuncto Papa Benedicto, Nicolaus sedet in Cathedra Romana annis nouem, mensibus duobus, diebus* 20.

Quam hæc aperta sunt Authoris eius verba, qui & post Martinum Polonum vixit, & eum legit? Cur omisisset, quod in eo legerat? Atque hinc confirmor, vt sentiã Martinum Polonum nondum hac fabula, maculatum, sed posteriori tempore illam maculam adspersam illi.

2. *Aeneas Syluius*, pòst Papa, dictus Pius II. prætereundus non est, quem Caluinista Grimmius fide cuiusdam Lutherani, in authenticum pro Papissa testem citat, sed impudentia magna: Nam Æneas epist. 130. seu Dialogo contra Bohemos hæc habet: *Gal. At fuit in Agnete manifestus error. Aeneas: Quam tu mihi Agnetem commemoras? Gal. Quã Romana sedes fœminam pro mare coluit, & in Apostolatus apice collocauit. Aeneas: Isthic neque fidei, neque iuris error, sed ignorantia facti fuit,*

NEQVE CERTA EST HISTORIA.

Quid clarius? Sed vide nunc impudentiam Grimmij. hæc Æneæ verba legit, & refert lib. 2. de Papissa pag. 370. sed respondet verba illa non curanda. Quid? Non curanda verba Authoris, quando de eius opinione & sententia disputatur? At nobis hinc clarum est, apud Æneam, narrationem de Papissa non esse *certam*, siue authenticam historiam. Adnumeretur ergo & hoc mendacijs Grimmianis, Æneam esse testem Authenticum de Papissa.

CAPVT III.

De Baptista Platina.

B*Aptistæ Platinæ* narratione Papissæ magnum fumum excitant Aduersarij, sed qui vere in oculos eorum incurrit. Stemus ergo Platinæ iudicio. Numeratur Papissa CVI. Pontifex apud ipsum, cuius cum dissimulatum sexum, studia, eruditionem electionem, impregnationem, partum, & mortem, ex fama & relatione, nempe: *vt aiunt, vt Martinus ait*, retulisset, simul & quorundam opinionem, quod Papa viam illam declinet, & quod in electione Pontificis, eius probetur sexus, tandem his absolutis aperte & rotunde suam profert sententiã:

Hæc quæ dixi, vulgo feruntur, incertis tamen, & obscuris authoribus, quæ ideo ponere breuiter, & nu-

& nude instituí, ne obstinate nimium, & pertinaciter omisisse videar, quod fere omnes affirmant. Erremus etiam nos in hac re cum vulgo.

In quibus verbis Nota 1. Historiam de Papissa iudicio Platinæ esse ab *incertis*, & *obscuris Authoribus*. Ergo non Authenticis.

2. Vocari *errorem vulgi*. Quid amplius quærimus? Quis sapiens authenticam dicat esse historiam authoritate Platinæ, cuius iudicio illa *fertur incertis*, & *obscuris authoribus*? Illine authentici? *Error ne vulgi* vera est histori.? Ergo iudicio Platinę lis decisa esto.

Hæc cum coram in colloquio cum Grimmio, deinde scripto acrius vrgerem, tandem respondet, Platinæ verba hæc non de ipsa historia, sed de probatione sexus solum intelligi. O.B.O.T. Quid? 1. *Hæc quæ dixi*, estne idem cum eo: quod vltimo dixi?

2. *Hæc quæ dixi*. At dixerat de eius dissimulato sexu, electione, impregnatione, partu. Ergo dicit, *Hæc ferri incertis, & obscuris authoribus*.

3. De probatione sexus iam suam posuerat sententiam, nempe; *sedem illam* (perforatã) *ob id paratam esse, vt qui in tanto magistratu cõstituitur, sciat se non Deũ sed hominẽ esse, vnde merito stercoraria sedes vocatur*. Et quidẽ id optime Platina scire poterat, Romæ

viuens,

viuens, & qui Pontificum diuersorum electioni interesse potuerat.

4. An solus Licentiatulus Grim. sapit? sane de re ipsa Platinam intelligunt diuersi Authores, quos tres cito. Ioannes Rioche Franciscanus in Compendio temporum, antequam de sede perforata ageret, ad ipsam narrationem electæ Papissæ addit; *Quod Platina & summa Conciliorum minus credendum asserunt.*

Sabellicus Enneade 9. lib. 1. *Platina parum sincera fide putat hæc, quæ de Ioanne Pontifice traduntur, esse ad posteros tradita, quoniam à scriptorum authoritate laborant.*

De marmorea sella ita pergit: *Quod ad marmoream sellam attinet, negat rem in eum vsum, qui vulgo traditur, ab initio quæsitã, sed vt Pontificali decus adipiscitur, per eum locum, in quo tunc resedit, admoneatur suæ fragilitatis, quod non Deus sit, sed homo.* Annon hæc clara?

Iudocus Badius Ascensius in Bapt. Mantuani Alphonsi lib. 3. ad vocem *Fœmina: Platina parum sincera fide putat, quæ de Ioanne Pontifice traduntur, quoniam à scriptorum authoritate laborant.*

Hæc sane omnia aperta sunt, nec tergiuersationem admittunt. Platina nobiscum sentit, laborare hanc historiam à scriptorum authoritate.

Annon ergo mendacijs Grimmianis annu-

annumerandum; Platinam authenticum esse testem Papissæ?

CAPVT IV.

De Ioanne Nauclero.

ET hunc in patrocinium historiæ de Papissa aduocant. Sed audiamus, quam fidem huic narrationi, illamque quam authenticam habeat; Cum enim eam, cum his verborum formulis; *Vt Martinus ait, vt asseritur*, enarrasset, subiungit: *vt vulgo dicitur: tacentur enim hæc in certis authoribus.* Ita ille Chronographiæ volum. 2. generat. 29.

De hoc viro, eiusque sententia, multus mihi sermo coram fuit, cum Caluinista Grimmio, & eum testati non esse historiam hanc in authenticis scriptoribus, vrsi hoc argumento:

Authentici scriptores sunt certi scriptores.

At historia hæc de Papissa Iudicio Naucleri, non est in certis authoribus, Ergo historia de Papissa, iudicio Naucleri non est in authenticis scriptoribus.

Cuius argumenti vim perspiciens, nec aptam statim responsionem inueniens, negauit Consequentiam syllogismi, quare in cartam redactam acrius vrsi. Ergo primo respondit ad Minoré: *Verba* NON EST, *non sunt in Nauclero.* Arguebam hominem statim Logomachiæ, prouocans ad Iudicium

te-

testium, An non hæc: *Non est*, vel: *non sunt in certis authoribus*, & illa: *Tacentur in certis authoribus*, idem essent? Confusus post longam satis deliberationem, respondit: Amphibologiam esse in vocabulo *Certus*, quasi iuxta Nauclerum non possit accipi pro authoribus incertis; cùm nominet Martinum, qui fuit Pœnitentiarius Papæ & Antoninum, qui fuit Canonizatus, & festum eius celebratur. Vnde solum vult indicare Nauclerus, esse quosdam Authores, apud quos taceatur hæc historia.

Circa hanc responsionem Nota 1. non quæri hic, num historia hæc sit in scriptore ob alias qualitates in respectu, & authoritate, sed hoc quæri: num authentice hanc historiam narret: Non enim historia statim dicicitur authentica, si à persona alias authentica proponatur, sed si authentice cum plena fide, & vt certa historia proponatur: At historia de Papissa non proponitur à S. Antonino authentice, siue vt certa historia, sed dubitanter de ea agit, vt infra patebit etiam testimonio Anonymi aduersarij.

Et ex hoc patet puerilis processus totius Centonis Grimmij, qui effusus est ad laudẽ Authorum, qui vel apicem de Papissa hac habent: Hoc ad rem spectabat, inquirere, & docere, num authentice & constanter rem proponant, quod infra examinabimus. Ergo iuxta Nauclerũ tacetur hæc historia in

Certis authoribus. 1. quia deficiunt scriptores vicini tempori Papissæ: non enim altius ille ascendit, quam ad Martinum & Antoninum, & assertionem vulgi. An nō ad fidem faciendam dicere debuisset: *vt Marianus, Sigebertus, Radulphus ait?* At nihil horum, non enim illud in antiquiore vllo Authore legerat. Hoc clarum est.

Nota 2. Etsi posterioribus seculis certi nominis sint Authores, qui hæc de Papissa tradunt, non tamen certa ratione, & fide, sed: *vt asseritur, vt dicitur, vt creditur*. Quod in nulla vera & certa historia, tam frequenter dicitur, vnde Authores illi, qui his formulis vtuntur, in hac historia, non sunt dicendi testes authentici: cum non authentice eam Lectori exhibeant cum plena fide, sed solum sunt narratores opinionis incertæ.

Habes ergo, quomodo taceatur hæc fabula *in Certis authoribus*. Atque hæc de sententia Naucleri, quæ magis constabit, si attendamus, cui respondeat coniunctio caussalis *enim*: *Tacentur* ENIM *hæc in certis authoribus?* nempe immediate præcedebat; *vt vulgo dicitur*. Ergo *certus scriptor* est, qui non ex vulgi assertione scribit, sed rem constanter vt veram asserit.

Annon & id mendacijs Grimmianis adnumeretur, quod Nauclerum dicat esse testem Authenticum historiæ de Papissa?

CA-

CAPVT V.

De Bartholomao Caranza, & Ioanne Auentino.

1. CAranzam in patrocinium fabellæ aduocat Grimmius. Magnam vir hic meruit laudem contracta omnium Conciliorum summa magno cũ labore in Theologorum vsum, quam postea ampliorem, & eruditis notis illustratam Coriolanus Longus Capucinus exhibuit. Ille ergo de Papissa hæc habet: *Ioannes VIII. Papa CV. sub Petro sedit annos 2. mensem 1. dies 4. De hoc ferunt, quod malis artibus Pontificatum adeptus est, quoniam cum esset fœmina, sexum mentitus est, & postea à seruo compressa doloribus circumuenta mortuus est.* HÆC VVLGO FERVNTVR, INCERTIS TAMEN ET OBSCVRIS AVTHORIBVS. Hæc ille.

Hic iam Lector attende impudentiam Grimmij Caluinistæ. Ipse trahens hunc virum in patronũm authenticum Papissæ, dicit eum pio vsum dolo, ad propudium hoc Papæ & matris Ecclesiæ tegendum. At quid opus Caranzæ tali dolo, cum sciret concessa Papissa, Antoninum, Nauclerum, & alios aliter rem excusasse, vt ex facti ignorantia inuincibili damnum Ecclesiæ non sit illatum. Et dic Calumniator, vnde dolum animi contra expressa Authoris verba nosse didicisti? An scrutator es cordium?

Verba

Verba clara sunt: *Hæc vulgo feruntur, incertis tamen, & obscuris authoribus.* Vnde sic argumentor:

Quæ quis incertis & obscuris authoribus, & vulgo ferri, solum dicit, ille hoc ipso non vult ea authentice constare.

Sed Caranza historiam de Papissa incertis & obscuris Authoribus, & vulgo ferri solum dicit.

Ergo Caranza historiam de Papissa hoc ipso non vult authentice constare.

Nota autem, cùm Caranza nihil habeat de sede perforata, & tamen vtatur verbis Platinæ de incertis & obscuris authoribus, quàm inepte à Grimmio dictum illud Platinæ, non ad historiam, sed ad sedem perforatam trahatur. Vnde & Ioannes Rioche à Grim. citatus, fatetur summam Concil. & Platinam dicere, ipsam historiam minus credēdam esse. Ita sursum & deorsum omnia desperatorū more inuertit Grimmius. Et vide annon in Caranza, velut teste authentico Papissæ à se adducto, Grimmius mendacij reus est?

2. *Ioannes Auentinus* vixit circa annum Domini 1530. lib. 4. Annal. agens de Ioanne IX. & amoribus Principis Theodoræ, quā vocat scortum nobile & imperiosum, quæ *Ioannem Bononiensibus primo, deinde Rauennatibus, postremo Romanis imposuerit,* & ad Pontificatum

Vide Baronium de hoc Ioanne quem 10. facit tom. 10. Anno 912. nu. 7. & seqq.

tificatum promouerit, addit: *Vnde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgarit hisce temporibus fuisse sacerdotem maximam fœminam, quæ appellata sit Ioannes.* Ex quibus verbis, Nota rem hanc ante Onuphrium Panuinium *fabellam* habitam *temere vulgatam*. Ergo non authentice.

Quæ vero ex hoc Auentini dicto impertinenter allegat Grimmius, quasi Papa Ecclesiæ tũc præsederit ex directione scorti &c. indigna sunt refutatione, & hoc loco aliena. Quid enim hoc ad fidem? Pontificem & male viuere, & damnari posse salua sanctitate officij certum est. Iudas officium sanctum Apostolatus obijt, sed prodidit Dominum, desperauit, damnatus est. An id officit Collegio & Officio Apostolico? An Aduersarij ob ministros suos adulteros, Scortatores, homicidas, fures deperditum suum putant ministerium?

Verum sufficit nobis putatam de Papissa historiam fabulam habitam.

CAPVT VI.

Quibus verborum formulis hanc historiam proponant Authores recentiores, & quid ad summum ex his concludi possit?

PVgnat VVolphius & Grimmius pro Papissa stabilienda recentiorum scriptorum

prorum non tam authoritate in referendo, quam numero, quasi centum Papistæ, & amplius rem hanc referant: sed sint mille: hoc enim potissimum erat agendum, inquirere, quam fidem faciant suis verbis, an fidem certam, an vero dubitationem ingerant? Hic sano disputatori, & veritatis indagatori scopus erat figendus; videndumque insuper erat; an res illa cum historijs temporum illorum conspiret. Audiamus ergo narratorum formulas, sub quibus rem eam proponant.

1. *Vt asseritur.*

Ita M.S. exemplar Mariani Scoti, de quo supra. Martinus Polonus.

2. *De hoc ferunt.*

Bartholomæus Caranza.

3. *Hæc vulgo feruntur, incertis tamen, & obscuris authoribus.*

Platina & Caranza.

4. *Error vulgi est.*

Platina.

5. *Fabella est.*

Auentinus.

6. *Vt asseritur, dicitur, creditur.*

Martinus Polonus in impresso ante hac.

Paulus Merula Belga in thesauro temporum.

7. *Dicitur.*

Fasciculus temporum. Amandus à Zierixea. Ioannes de Marcouille.

8. *Ferunt.*

Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

9. *Vt ferunt, vt Martinus ait.*

Hartmannus Schedel in magno Chronico.

10. *Fertur.*

Crantzius in Metropoli. Ioannes Laziardus in epitome hist.

11. *Sicut inuenio scriptum.*

Chronica Coloniensia Germanica.

12. *Fatur scriptoribus.*

Guilhelmus Iacobus Egmondanus.

13. *Vt aliqui dicunt.*

Bocacius.

14. *Fama est, vel tenet.*

Matthæus Palmerius, & Sigebertus ex eo deprauatus, Coccius, Sabellicus.

15. *Vt asseritur, vt Martinus ait, si verum fuit, quod vulgo dicitur, vt iste refert.*

Antoninus, de quo & Lutheranus Anonymus contra Iesuitas de Ioanne VIII. dicit, *dubitanter eum loqui.* Addit autem Antoninus: *Vincentius tamen in speculo historiali, & Ioannes de Columna nihil de hoc referunt.*

16. *Pontifex fœmina credita.*

Picus Mirandulanus.

17. *Vt aiunt, vt Martinus ait.*

Platina.

18. *Tradunt, vt multi affirmant.*

Iacobus Bergomensis in supplemēto.

19. *Dicunt.*

Volaterranus.

20. *A Chronicis relatum scimus.*

Cœlius Rhodiginus.

21. *Aiunt, tradunt.*

Ioannes Rioche in Compendio temporum.

22. *Tradunt.*

Ioannes Stella Venetus in Vitis 230. Episcoporum Rom.

23. *Si vera est, quæ per Romanorum omnium ora fabula circumfertur.*

Ioannes Pierius Valerianus apud VVolphium.

Quæ vmquam historia, quæso, habita est vera, in qua Authores passim simili loquuntur forma? Sane si de Pontificatu Petri, eiusque sede Romana, adeò inconstanter introduceremus scriptores, qualem triumphum agerent Aduersarij? Nunc autem, cum rem hanc constanter asserant, vt & dogmatice SS. Patres Pontificum à Petro in Sede Romana successionem, vti rem certam, & contestatam contra hæreticos sui temporis vrgeant; audent nihilominus Aduersarij affirmare fabulam esse. Annon, id est, in historia ludere, & ex nigro album, ex albo rursum nigrum facere?

Rursum ex re, incerta hac loquendi forma enarrata, poteritne quidquam contra successionem Pontificum *certo* inferri? Sane cum Conclusio apud Logicos, partem sequatur debiliorem; & ei non plus certitudinis insit, quam præmissis, claudicante vna earum, claudicat profecto & Cōclusio. Exemplum sit hic Aduersariorū syllogismus,

Si fœmina Papissa sederit in Sede Pontificum, interrupta est successionis linea.

Sed verum est Papissam fœminam sedisse in Sede Pontificum, Ergo verum est interruptam esse successionis lineam.

Propositio imprimis falsa est: sed transeat modo, quam infra examinabimus. Assumptio, vt iam patet, cum ex scriptoribus doceri debeat, incertis verbis ab illis proponitur, quæ & indicant rem non esse veram; ad summum incertam. Ergo incertitudo huius Assumptionis transit ad Conclusionem: adeo vt ad summum huius argumenti Conclusio ab Aduersarijs dici possit, & debeat incerta. Ex incerto autem quis, nisi amens, certum quid concluserit?

Obijcies, Ioannem Rioche in Compend. hist. lib. 3. cap. 15. post enarratam de Papissa historiam hæc habere: *Quod Platina, & summa Conciliorum minus credendum asserunt: Tota id nihilominus Ecclesia asserit.*

Resp. Vna hirundo non facit ver, ideoque ver-

verba vltima, quomodocunque intelligantur, esse absolute falsa, vt patet ex Authoribus multis allegatis, qui non credunt, sed dubitant; Et sane Platina, summa Conciliorum, & alij iudicio Rioche de Ecclesia sunt. Ergo non asserit id tota Ecclesia.

CAPVT VII.

Quam authentice scriptores nostros exhibeat pro Papissa sua Grimmius in suo Centone.

EXcipit frequenter Grimmius contra eos, qui ex authoritate testium Catholicorum Papissam oppugnant, quod hostes sint, adeoque illis credendum non sit. Vnde vicissim videndum, qua fide magnam Authorum partem pro Papissa alleget; vt hinc pateat, quam probatio eius sit authentica. Inueniemus sane plurimos, quorum numero triumphat, citati ex fide suorum Caluinistarum, vel Lutheranorum, quasi illi authentici testes nobis esse debeant, qui aduersarijs non sumus.

1. Producit epistolam Vniuersitatum Parisiensis, Oxoniensis, & Pragensis, in qua hæc: *Ioannes successor Leonis IV. cœpit circa annum* 859. ex editione Hulderici Hutteni.

At quis ille Huttenus? Sane noster non est, cum in prima classe sit librorum prohibitorum, qui nobis sunt vel hæretici, vel de hæresi suspecti.

 2. Cita-

2. Citatur Alphonsus è Carthagena, sed ex fide Alexandri Chooke Caluinistæ.

3. Ioannes de Turrecremata teste eodem. O authenticum testem!

4. Don Roderigo Sanchez, apud eundem.

5. Caranza: Cum tamen dicat hanc narrationem non esse in authenticis scriptoribus.

6. Ranulphus, citante VVolphio Lutherano. Neuter noster est.

7. Author fragmenti, teste eodem VVolphio Lutherano.

8. Hermannus Ædituus teste eodem.

9. Ioannes Pierius, ex fide Alexandri Chooke Caluinistæ, & VVolphij Lutherani.

10. Hieronymus Marius citante Baleo, legem tulisse dicit Papissam de non præscribendo contra Romanam Ecclesiã, nisi post annos centum. Mendacium. Neuter noster est.

11. Catalogus præfixus Platinæ, cum tamen dicat author: *Inter Pontifices numeranda non est.*

12. Fauchier, citante Plesseo Caluinista.

13. Ioannes Hus. O præclarum testem contra nos!

14. Constantiense Concilium. Sed audi

audi coniecturam: Inter articulos Ioannis Hus vnus est; *Non oportet Papam esse caput Ecclesiæ, nisi sit prædestinatus.* Et probat Hus. Quia alioquin fides Christiana falsa esset, quæ decepta fuit in Agnete. Iam audi acutum argumentum Grimmij: Concilium id non refellit. Ergo sensit id esse verum. Stulta argumentatio. Quasi necesse esset Concilium omnes hostium nugas refellere. Annon ergo mendacijs Grimmianis adnumeretur, Concilium Constantiense esse testem authenticum pro Papissa?

15. Citatur Canon *Nemo* 16. quæst. 3. quem Grim. Ioanni Papissæ adscribit. Quo quæso authore Catholico? Adiungatur & hoc eius mendacijs.

16. Radulphus Flauiacensis, ex fide VVolphij & Anonymi. Mendacium merũ.

17. Albertus Stadiensis, ex ea solum coniectura, quod inter Ioannem VII. & Ioannem IX. non habeat VIII. Ergo sentit eam fuisse. Sed vbi verba? aliud ex eo docuimus. Optabat quidem Alberti editor Reineccius Aduersariorum vnus, nominari ab Alberto fictitiam hanc Papam, sed quia non factum, hoc Scholion interiecit: *Chronicon Martini Poloni hic inseruit Ioannem VIII. Papissam, fertur enim fœmina fuisse, patria tamen incertæ.* Adiungatur hoc & alijs mendacijs, cum hinc constet Stadiensem de Ioanna hac nihil habere.

18. Æneas

18. Æneas Syluius, ex fide Ioannis Gerardi Lutherani; sed vbi verba, quæ id testantur? vbi liber? Nos supra aliud docuimus.

19. Ioannes Picus Mirandulæ Comes, quia alicubi scribit: *Prodit olim memoria fœminam Pontificem creditam*, sed docendum erat, ipsum credidisse veram esse historiam.

20. Iacobatius ex fide VVolphij, quia scribit: *Conuictus Papa, quod sit mulier, per Concilium Cardinalium deponitur.* Iam concludit Grimmius: Ergo credidit fœminam fuisse. O rationem dignam Grimmio!

21. Liber Romanarum indulgentiarum ex fide Georgij Nigrini, & VVolphij hostium nostrorum.

22. M. Marulus Spalatensis, quia Plesseus id inde colligit, quod carmine videatur alludere ad Papissam. Nihil nobis cum Plesseo Caluinista, cuius falsi crimina in præsentia Regis contestata vide apud Perronium, ex protocollo hac de re.

23. Richardus Cluniacensis ex fide Anonymi contra Iesuitas.

24. Robertus Gallus teste Ioanne VVolphio Luth.

25. Ioannes Henaldus teste eodem.

26. Carolus Molinæus, ex fide Alexandri Chooke. Neuter noster est.

27. Isengrin ex fide Anonymi contra Iesuitas.

28. Pe-

28. Petrus Flander ex fide VVolphij Luth.

29. Georgius VVicelius ex fide Roberti Barns, & Balei. Neuter noster est.

30. Ioannes Pistorius. Quia edere cogitabat Fasciculum temporum. Bella ratio.

31. Chronicon Saxoniæ ex fide Magdeburgensium, in quo sit, quod Ludovvicum Lotharij filiũ coronauerit. Mendaciũ.

32. Franciscus Petrarcha ex fide VVolphij Luth.

33. Historia de famosis mulieribus Italiæ ex fide Anonymi, & VVolphij.

34. Felix Malleolus. Noster non est in prima classe Indicis.

35. Valerius Anselmus Rydt. Noster non est in eodem Indice.

36. Baptista Egnatius ex fide Theodori Zvvingeri Luth.

37. Ioannes de Marcouille ex fide VVolphij.

38. Codex Gaesdonckanæ Canonicæ Ord. S. Augustini M. S. ex fide cuiusdam Caluinistæ; qui tamen diligentissime requisitus reperiri non potuit.

39. Henricus Cornelius Agrippa. Qui qualiscunque aliquando fuerit, noster non est, teste Indice in prima classe, & migrasse illum ad Lutheri partes, docte ex epistolis eius probat Fromondus in Crisi desperatæ causæ Iberij cap. 18.

40. A-

40. Achilles Gassarus. Qui qualiscunque fuerit, noster sane non est teste Indice in prima classe. Et quod in authore hoc notandum, cum monstrum hoc ponat in sua historiarum epitome, in Catalogo tamen Pontificum non solum omittit, sed & eum ponit annorum computum, qui illud non patiatur. Transeo iam Catalogos tot scriptos quos diuerso numero citat Grimmius, quasi vnus ex alio non sit descriptus, vt plurium idem possit esse author, si hos de numero testiũ Papissæ demamus, quia Grimmio ipso teste, non tenemur testimonio Aduersariorum, nisi in quantum probant; si & vna demantur, qui dubijs verbis eam proponunt, quos supra produximus, quam ex ingenti consarcinato Grimmij Centone pauci panniculi supererunt, & quam misere cohærebunt? Et tamen tam fastuose eum hinc inde circumtulit ostentans circumforanei instar, quasi lite pro Papissa, Aduocato, immo Censore & Rhadamanto Grimmio decisa, scilicet.

CAPVT VIII.

Authoritas Iusti Lipsij contra Papissam.

QVantus, & qualis vir *Iustus Lipsius*, orbi notum est. Quantum eruditionis miraculum! quale & nobis, & Aduersarijs scientiæ portentum! Eius ex epistola quadam placet

placet adiungere testimonium de hac Papissa, quam allegat Aubertus Myræus in Notis Sigeberti ad annum 854. his verbis:

De ea, quid Clar. V. I. Lipsius senserit, hic libet apponere: Is in epistola ad Franciscum Svvertium anno 1595. V. Kal. Martij data, cuius autographum adseruo, sic scribit: De quæstiuncula, quod petis, super Pontifice Ioanne fœmina; VT NVGANTVR, vides, quid sentiam. Reuera fabella est, haud longe ab audacia & ineptijs Poetarum. Vis clare tu, & consortes illi rem videre? adite librum Gallice nuper scriptum, editum Burdegalis authore Florimundo Roemundo, Consiliario Regio, qui totus est in hoc argumento. Author ipse ad me misit, & ita plene omnia executus est, vt nobis nihil reliqui sit præter credere, & adsentiri. Hactenus Lipsius. Sic Myræus ex ipso autographo.

Ita Lipsius, summæ authoritatis vir, summum historiarũ lumen, & fax, quem centũ Grim. & omnibus eius calumnijs oppono, quas in Clariss. V. Burdegalensis Parlamenti Consiliarium Florimundum Roemundum venenato calamo euomit, & apices eius hinc inde insectatur: Manet enim eo vsque quisque bonus, donec conuincatur malus, & Accusatore non probante reus absoluitur. Iustus Lipsius in historia dignoscẽda oculatissimus, testatur Roemundum plene fabulam delineasse, adeo vt nihil reliqui sit nisi *credere & assentiri.*

Clarissi-

Clarissimo historiarum lumini in sua professione credendum est.

TRACTATVS VII.

ADVERSARIORVM TESTImonio configitur plane hoc monstrum.

MOSES Deut. 32. 31: *peculiarem Dei prouidentiam, & assistentiam populi Iudaici declarat tantam esse, vt & ipsi hostes eam confiteri debeant:* Non enim est Deus noster, vt dij eorum, & inimici nostri sunt Iudices. *Magnum veritatis testimonium, quod hostes prabent magna veritatis vis, quae & ipsos inimicos ad eius confessionem cogit. Perge ergo Lector & hostium testimonio configi Papissae monstrum specta.*

CAPVT I.

Author augmenti Chronici Carionis.

PRodierunt anno 1564. typis Basileensibus libri tres Chronicorum Ioannis Carionis, seu verius Philippi Melanchthonis, iterato aucti è veteribus, & recentioribus historijs Pontificum Romanorum; ac Caesarum, Regumque Catalogis locupletati. Verba Carionis sunt haec: *Post Leonem*

IV. Io-

IV. Ioannes VIII. Anglicus ex Moguntia oriundus, sexu fœmina, mentito habitu Pontifex fit CVI. anno 854. *sedit annis* 2. *Hic eruditione pollens in via pariens agnoscitur, & dolore partus moritur. Hinc cautum, vt membra virilia attrectentur Pontifici, priusquam confirmetur, foramine ad id in sede existente.* Ita Carion. pag. 372.

Sequitur additio prima: *Cur autem Ioannis VIII. Anglici Papæ, quem fœminam fuisse plerique fabulantur, contra vulgatam opinionem, aniles fabulas, & puerilia commenta non receperim, latius disseram in secundo instituti mei libro. Ex Onuph. Panuin.* Sequitur altera additio: *Post Leonem à quibusdam recentioribus, quorum author, & antesignanus est Martinus Polonus, mendaciorum loquacissimus, in ordine Rom. Pontificum ponitur Ioannes quidam Octauus, natione Anglicus, eamque fœminam fuisse asserunt, sedisseque in Petri Cathedra annos* 2. *mens.* 1. *& dies* 4. *& post à familiari cõpressam in partu excessisse. De hoc quid sentiam, nõ est modo dicendũ, hoc tamen non prætermittã, huius rei à nullo veterũ scriptorũ mentionem vmquam factam fuisse ex his, qui ante Martinũ Polonum fuerunt. Fuerunt autẽ, & adhuc eorum scripta extant, quamplurimi, tam horum, quam inferiorum temporum. Deinde tempus, quo eam sedisse scribit, hic interponi non posse reor, cum à morte Leonis ad creationem Benedicti dies tantum* 45. *intersint. Quod ex eorum temporum scriptoribus exscerpsimus, Anastasio*

videlicet Bibliothecario, & alijs, qui per hæc tempora vixerunt. Ex Iacobo Strada Antiquario. Verba hæc clara sunt, quæstio solum esse potest de Authore, cũ sit innominatus, qui Chronicon hoc auxit.

Sed Lutheranũ, vel Zzvvinglianum fuisse probant eius appendices, in quibus totus laudandis Lutheranis vel Zvvinglianis est. Sic laudat anno 1540. Eobanum Hessum. Anno 1541. Simonem Gryneum. Anno 1546. Ioannem Diasium. Anno 1547. Hermannum Coloniensem Apostatam. Anno 1552. Lutheranos in Concilio Tridentino doctrinam suam defendentes. Anno 1553. Ioannem Sleidanum. Anno 1563. Ioannem Baleum. Speciatim vero ad annum 1560. hæc habet: *Cum Euangelij doctrina paulatim in Gallia incrementa susciperet &c.* Vbi doctrinã vel Lutheranam, vel Caluinisticam vocat doctrinam Euangelij, quod absit, Catholicus dicat. Ex quibus luce clarius est, quid hic Aduersariorum vnus de Papissa senserit. Nec video, quid obijci solide possit.

CAPVT II.

Petitur testimonium ex tractatu alterius Anonymi.

PRodijt anno 1588. tractatulus sub hoc titulo: *Simplex narratio, indicans, & exponens meretriculam quandam Anglam numquam*

Papam

Papam fuisse, neque vmquam in rerum natura extitisse, & vnde figmentum illud originem duxisse credatur. Author est Anonymus, sed Sectariorum vnus; cum atrociter maledicat Romanis Pontificibus præsertim Gregorio VII. Bonifacio VIII. Alexandro VI. placet quæ de ea habet, fere adiungere:

Quidam scriptores mediam inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices meretriculam quandam Anglam collocant, tempore Lotharij Ludovvici Pij Filij, anno circiter 855. Quã malis artibus Pontificatum adeptam Platina refert, ac tandem addit: Hæc quæ dixi, vulgo feruntur, incertis tamen & obscuris authoribus; quæque se ideo posuisse dicit; ne omisisse videretur, quod fere omnes affirmant. Denique erremus, inquit, etiam nos in hac re cum vulgo, quamquam appareat, ea ex ijs esse, quæ fieri posse creduntur. Vnde liquet Platinam illa velut dubia, & incerta, ac porro ficta protulisse.

Sed omnino fœminam illam non fuisse in rerũ natura grauißimis fretus authoritatibus ostendam; & si eam fuisse vulgus putet, & ignobiles aliquot scriptores tradunt, quamquam falso. Sed sic est; vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Scriptores vero illi, quam errarint, vel ex eo intelligitur, quod Victorianus grauis illius temporis scriptor post Leonem IV. nullam Ioannam, nullam meretricem, sed Benedictum III. immediate sedisse in suis Annalibus tradit.

Constat item Lupum Abbatem loci Ferrariæ in Diœcesi Senonum, antequam Romam ad Benedictum Legatus proficisceretur, dedisse epistolam ad Marenardum Abbatem Ponmiensem, vbi inter Leonem & Benedictum nullam Laidem collocat. Benedicto autem successisse Nicolaum, quem Michael Græcus Cæsar ob causam Photij plane oderat. Nihil igitur ei fuisset efficacius, ad contundendam Nicolai facundiam, quam impudentis illius meretriculæ, si modo fuisset, audaciã obijcere Pontificibus Romanis: Quod ab illo minime factũ est, non ignaro tam recentis facti, neq; omissuro tantũ Ecclesiæ Romanæ opprobrium, si verum id fuisset. Nicolaus autem in quadam epistola ad dictũ Michaelẽ: Decessores, inquit, mei beatæ memoriæ Leo & Benedictus, & quæ sequuntur. Summa, nullus illius temporis clarus, seu idoneus scriptor illius Thaidis mentionem vllam fecit.

At quidam meretriculam illam Anglam fuisse dicunt. Sed & hoc nullæ illius gentis, atque illius temporis historiæ loquuntur; non obrutur æ silentio tantum facinus, ac tam raram insanientis fœminæ audaciam, cum tamen illa natio & sciendi, & maxime rerum suarum auida semper fuerit, nec à Beda optimo scriptore, sine historicis vnquam fuit.

Accedit Leonis historici testimonium, qui Ioannem VIII. Nicolai, & Hadriani successorem lib. 1. hist. fuisse dicit, qui Octauus certe non fuit, si Thais fuit; Illa enim septimum tantum locum

teneret, qui tamen locus tribuitur Ioanni natione Græco, qui ante Conſtantinum Pontificem fuit, id eſt, multo ante Benedictum, & Nicolaum, anno ſcilicet 706.

Deinde cum de Martino Polono egiſſet, pergit:

Anaſtaſius item Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, qui vitas Romanorum Pontificum vſque ad Benedicti III. ſucceſſorem Nicolaum ſcripſit, qui tum viuebat, & creationi Sergij II. Leonis IV. Bendicti III. Nicolai I. Adriani II. & Ioannis VIII. vt ipſe refert, interfuit, is non ſolum nullam biennalis Pontificatus Ioannis fœminæ mentionem fecit; verum etiam Romanam ſedem poſt Leonis IV. obitum, dies tantum XV. vacaſſe ſcribit, ſubijcitque Leoni mortuo non Ioannem aliquem, ſed Benedictum III. mox ſuffectum.

Tantorum itaque virorum grauiſsimis adducti teſtimonijs fœminam ſiue puram, ſiue impuram plane reiecimus.

Agit deinde de Chalcocondyla Græco, qui huius fabulæ, & ſedis perforatæ mentionem facit & pergit.

Id dum Chalcocondylas ſcribit, fabulamq; texit è fabula, vel imperitos hiſtoricos, vel communem mortalium errorem ſequitur: Illi autem à teſtimonio repellendi ſunt, vt minus idonei teſtes; Nam quidquid ſcribant, ſiue mentiantur, ſiue populis imponant, perinde eſt, dūmodo ad optatū, propoſitumq; ſibi exitū perueniāt. At fabulæ, vt videmus,

 non

non sunt breuissimi pedis; nam adhuc in sermonibus hominum versatur illius meretricula audacia, quæ velut Simia, non vt Papa sedisse fingitur, quæ si reuera extitisset, refertas illo facto Græcorum historias certe videremus.

Vnde igitur orta est hæc toties decantata, toties depicta fabula, & à plerisque pro vera historia habita? Ioannes Auentinus Annalium Boiorum lib. 4. hanc fabulam inde natam arbitratur, quod Albericus locupletissimus Hetruriæ Princeps, Rauennam, Bononiam, Romam in potestate habens Socrum habuerit, nomine Theodoram, scortum nobile, atque imperiosum, quæ tum Romæ dominabatur, Ioannemq́ IX. amatorem suum Bononiensibus primo, deinde Rauennatibus, postremo Romanis imposuerit, primariumque Sacerdotem creauerit. Vnde fabellam ortam credit, quæ temere vulgarit, hisce temporibus fuisse Sacerdotem maximum fœminam, quæ appellata sit Ioannes. Ita ille Sectarius. Quæ referre placuit, vt videant Aduersarij, quid de hac Papissa vnus etiam ex Caluini, aut Lutheri lustris sentiat, sperniendumq́ue doceat.

CAPVT III.

Testimonium Sethi Caluisij præcipui Aduersariorum Chronographi.

sup. tract. 2. cap. 2. HVius viri in Chronologia laudem audiuimus ex Iosepho Scaligero. Obijt autem Lipsiæ anno 1615. sed ab alio continuatus est ad annum 1629.

Odium

Odium in Pontificem, & Romanam Ecclesiam, ex hisce eius ad annum 1106. audi: *Celeberrima fama tum temporis in Ecclesia fuit, futurum breui tempore, vt Antichristus reuelaretur, vt habet Baronius hoc anno. Vnde apparet Antichristum tum temporis sedisse in Ecclesia; sed non fuisse reuelatum, quod tempus reuelationis eius non fuisset completum; alias facile eum agnouissent in Hildebrando, Vrbano. Paschali, & sequentibus, qui se super omnia, quæ sunt in mundo extollebant; sed nemo tum credere poterat Papam esse Antichristum.* Ex hoc hoste Ecclesiæ Romanæ tria contra Papissam formantur argumenta. *O mendacia!*

Primum est, quod expressis verbis docet in demortui Leonis IV. locum, electum Benedictum III. hisce verbis: *Leo Papa, cum sedisset annos octo, & mēses tres moritur die 17. Iulij. Eligitur in ipsius locum Benedictus, patria Romanus, & consecratur.* Ita notat ad annū 855.

Rursum ad annum 858, *Benedictus, Papa, cum sedisset annos duos, menses sex, moritur die 16. Februarij. Succedit ipsi Nicolaus, qui consecratur die 24. Aprilis, seditq́; annis nouem, & mensibus quatuor.* Ergo disertis verbis immediatum Leonis IV. successorem facit Benedictum III. & quidem eodem anno, quo obijt Leo 855.

Secundum argumentum desumitur ex eius Chronographia, siue temporum

supputatione, quæ omnino non patitur vel medium annum pro Pontificatu Papissæ. Sed hoc argumentum loco citato deduxi.

Tertium argumentum est, quod dicat neminem, qui circa hæc tempora, vel Græci, vel Franci, vsque ad Marianum scripserunt, id est, spatio ducentorum annorum, huius Papissæ meminisse. Pono verba, & quo loco fabulam hanc habeat, liquebit: Postquam enim sententiam suam ex Anastasio posuisset de substitutione Bened. III. in locũ Leonis IV. addit hæc minori littera:

Quidam hic Pontificem Ioannem Octauum, qui fœmina fuerit Pontificem factum asserunt, & duobus annis, & duobus mensibus sedisse statuunt. Dicunt hanc fœminam proprio nomine dictam fuisse Gilbertam, natam ex matre scorto, & patre sacrifico Moguntiæ, & mentitam sexum masculinum; Cœnobio Fuldensi nomẽ dedisse, ad discendas bonas artes, & Græcam linguã cum amatore suo ex Germania in Græciã Athenas se cõtulisse, indeq; Romã venisse, publice docuisse, & tandem, cũ omnium beneuolentiam & magnam authoritatem conciliasset, ex Cleri, & Imperatoris consensu Papam electam, & Ioannem VIII. nominatam esse. Postea vero ex Cardinale quodam concepisse, & cum ex Vaticano in processione solenni Lateranensem Ecclesiam inuiseret, inter Neronis Colossum, & Clementis fanum obortis partitudinis doloribus puerum enixam mortem obijsse. Hæc tamen

res

ris est, vt aut scelerate ab historicis fingatur, aut impudentissime à Pontificijs negetur. Author huius rei primus esse videtur Marianus Scotus, qui ducentis, & triginta annis post rem gestam mortuus est, hunc secuti postea sunt Sigebertus, Platina, & alij multi è recentioribus, sed qui circa hæc tempora, quando res gesta dicitur, scripserunt, huius rei, quod sciam, nullam mentionem faciunt, nec etiam vel Græci, vel Franci, qui hostes Sedi Pontificiæ breui post tempore facti, & contra Pontificem Romanum scripserunt, hoc vt insigne probrum Sedi Pontificiæ obiecerunt; nisi fortassis hæc cura Pontificiorum è libris erasa fuerunt. Statuat hac de re, quod quisque putat verum esse.

Circa quæ Nota 1. Caluisij mentem omnino fuisse, eam non statuendam, cum eam ponat Chronologiam Pontificum, quæ eam nullo modo patiatur, de qua Tract. 2. cap. 2. pressius egi.

2. Seruire nobis, quod spatio ducentorum annorum nullus Papissæ meminit, ne hostium quidem, qui contra Romanam Sedem scripserunt. Testimonium hoc ab inimico petitum demonstratiuum est; & quidem clara, extorta, & contestata veritas ipsum hæc scribere coegit, qui alioquin vt Iuratus Sedis Romanæ hostis, probrum hoc, si verisimile, alio colore delineasset. Sed *super omnia vincit veritas* dicebat tertius à custodia Corporis Darij. 3. Esdræ c. 3. 12. & cap. 4. 35.

CAPVT IV.

Testimonium Christophori Besoldi Iurisconsulti Tubingensis.

NOtus hic est, & celebris varijs historiarum & Iuris libris. Edidit inter alia ingenij sui opera breuem historiarum synopsin, ab orbe condito. Hic quid de Papissa sentiat, duobus locis aperit. 1. in ipsa
pag. 327. synopsi hæc habet: *Quidam anno Christi 853. vel circiter, Ioannem Octauum, qui fœmina fuerit, Pontificem factum asserunt. Dicunt hanc fœminam proprio nomine dictam fuisse Gilbertam, natam ex matre Scorto, & patre sacrifico Moguntiæ, & mentitam sexum masculinum Cœnobio Fuldensi nomen dedisse, indeque se cum amatore suo ex Germania in Græciam Athenas contulisse ad discẽdas bonas artes, & Græcam linguam: Post Romam venisse, publice docuisse, & tandem cum omnium beneuolentiam, & magnam authoritatem sibi conciliasset, ex Cleri, & Imperatoris consensu Papam electam, & cum ex Vaticano in processione solenni Lateranensem Ecclesiam inuiseret; inter Neronis Colossum & Clementis fanum obortis partitudinis doloribus puerum enixam, & obijsse. Vide Crus. in Annal. VVolphium lect. memor. Philippũ Mornæum in myst. iniquit. Et Oppenheimij impressum tractatum, cui titulus: Ioannes Papissa toti orbi manifestata. R. D. Ioh. Gerhardi tom. 5. loc. de Ecclesia.*

Verum operose hæc omnia confutare nituntur

Onuph.Pauin.in annot.ad Platinam. Florimundus Remund. Senator Burdig. Tract. hac de re ſing. Card. Baronius tom.10.ad annum 853. Et anno 879. num. 5. Longus in Breu. Bellarm. lib.3. de Rom. Pontif. cap. 24. Poſſeuinus in Apparatu ſacro. Ioan. Bernartius de vtilit. legendi hiſt. Ioannes Georgius Hervvart in Mantiſſa contra Bzouium parte 3.f.30. Miræus Annal. Belg. fol.350. Maiolus in diebus Canicul. Serarius lib. 1. Mogunt. Ea de re ita Caluiſius &c. recitat deinde citata ſuperius verba Caluiſij, in fine cum eodem concludens: *Statuat hac de re, quod quiſque putat verum eſſe.*

Hæccine ſcribat, qui hiſtoriam de Papiſſa habet authenticam?

2. In Catalogo Pontificum append. prima ponit ad annum 847 electum Leonem IV. Pontificem CVI. At vero ad annum 855. Benedictum III. Pont. CVII. Ad annum 858. Nicolaũ I. Pont. CVIII. Quæ certa Chronologia nullo modo patitur Papiſſam, ſi Leo annis octo, & Benedictus ſedit duos annos, & aliquot menſes, vti certiſſimum eſt. Satis ergo ex ſua mente aperit Beſoldus hiſtoriam de Papiſſa non authenticam, ſed potius fictitiam eſſe.

CAPVT V.

Teſtimonium Henrici Kornmanni Iuriſconſulti Lutherani.

HEnricus Kornmannus libello de Virginitatis iure anno 1631. edito, (in quo virus suum subinde in Monachos, & Moniales euomit) in quæstione: *Num Virgo stuprata, quæ se pro Virgine gerit, serta, corollas, & alia Virginum ornamenta gestare queat?* post exemplum simulatæ personæ & status, subiungit hæc de Papissâ: *Aliud mirabilius traditur de Virgine Ioanne VII. vel VIII. Papa.* (SI TAMEN VERA ILLA HISTORIA EST, SEMPER ENIM MIHI SVSPECTA FVIT) *quæ habitu virili, magicis artibus Pontificatum adepta dicitur.*

Vide & eundem in Centuria prima decisione 8. vbi similiter non habet historiam hanc nisi suspectam & fide laborantem. Vnde aduerte Lector, quam cœco Iudicij furore agantur, qui obstinate adeo hanc historiam volunt per forza esse authenticam, vt ea ruptam certissimo velint successionis Pontificum lineam; cum alij Aduersariorum prudentiores, & modestiores, sedatiori ingenio, & sepositis affectibus, post tot editas suorum dissertationes pro ea; adhuc sibi suspectam eam esse fatentur, candide & rotundè. Ergo iudicabant, argumenta & authoritates à suis adductas, eius non esse momenti, quæ humanum Iudicium conuincerent.

CA-

CAPVT VI.

Testimonium Pauli Merulæ Ord. Hollandiæ &c. Historici.

PAulus Merula Illustrium Ord. Hollandiæ &c. Historiographus edidit Belgico idiomate Thesaurum temporum anno 1627. in ea exhibet historiam generalem orbis. Dum ad figmentum Papæ scribendo dilabitur; primum eius vitam describit, & electionem Papalem, *so men seyt*, *vti dicitur*, deinde momenta vtriusq; partis affirmantis, & negantis proponit, tandem è mente sua resoluit. 1. difficile esse totum negare. 2. rem adhuc dubiam esse: *doch de saecke, als noch twyffelachtig synde, ende ick een afkier hebbende daer ouer seer te twisten, sal ick den voet, ende ordre houden, die* Onuphrius, *ende andere albier syn vervolgende ter tyd toe, dat die waerheidt, ann d' eene, of d' andere syde meer aen den dag komme.* Ita pag. 573. In quibus fatetur Author *rem dubiam etiamnũ esse*, seq; ordinẽ temporum velle sequi, quem designat Onuphrius, donec elucescat veritas. Ita ille. Ergo historia de Papissa non illi authentica, sed dubia fuit.

Alios inuestigare nolui, hi ad manus erant. Sufficiant hi non ex gregarijs desumpti testes, sed Iuris Doctores, & illustres apud suos historici. ECCE INIMICI NOSTRI SVNT IVDICES.

TRA-

TRACTATVS VIII. de Papiſſa.

ABSVRDE ADVERSARIOS vrgere contra Catholicos fabulam de Papiſſa.

EVICTVM *eſt clariſſime hanc de Papiſſa narrationem non authenticam, ſed meram fabulam eſſe. Ne autem videamur Aduerſariorum illatione abſurdi, terreri, oſtendemus, abſurdam eſſe omnem illorum illationem ex hac Papiſſa vel contra ſucceſſionem Pontificiam, vel Eccleſiæ fidem, eoſque non poſſe rem hanc vrgere, etiam vltrò conceſſam à nobis: Atque ea fuit ratio, cur multi ſcriptores Catholici ex relatione vulgi rem hanc enarrantes, noluerint curioſe inquirere, narrationis certitudinem, nempe videbant nihil eam obeſſe vel ſucceſſioni Pontificiæ, vel fidei, cum ſolum ignorantia facti in ea eſſet. Perge Lector, & arundineum Aduerſariorum Scipionem, confringi ſpecta.*

CAPVT I.

An Papiſſæ electio ſucceſſioni Pontificiæ præiudicaſſet?

RESpondeo, quod non, hoc argumento: Vel enim mulier capax eſt Ordinis Epiſco-

Episcopalis, & supremæ Ecclesiasticæ potestatis, vel non? si sic? Fuisset sane verus Pontifex, & lineam successionis vere continuasset, si non? Ergo solum vmbra fuisset Pontificis, & per consequens sedem Petri, nec de Iure, nec de facto cum potestate occupasset, adeoq; sedes vere vacasset, quamuis vmbratice occupata. Atqui per hoc, quod sedes vacat, etsi multis annis, dummodo ordinaria electio subsequatur, non interrumpitur linea successionis, vt exemplo humanarum successionum in regimine temporali clarum est.

Sane constat apud Epiphanium, recenseri eorum hæresim, qui Pepuziani dicuntur, apud quos *mulieres Episcopi sunt, & Presbyteri, & ad certos gradus eliguntur, nullus vt sexus crimen seruetur.* Sed refutat eos Epiphanius, & pergit: *Quod enim mulierculas ad Episcoporum, aut Presbyterorum ordinem adsciscunt, idque ob Euam se facere dictitant, audiant sane, quod à Domino dicitur. Ad virum erit conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Quin illud ignorant Apostoli præscriptum: Mulieri non permitto loqui, neque in viros authoritatem habere.* Quo textu nullæ Ecclesiasticæ functiones mulieri permittuntur, siue per modum ordinationis, siue Iurisdictionis supra viros in Ecclesia. *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia,* 1. Cor. 14. 34. Nempe propter naturalem sub-

tom. 1. li. 2 Panarij hær. 49.

Gen. 3. 16.

1. Tim. 2. 12.

subiectionem. Vnde nō immerito absurdū videatur Catholicis, in Anglia sedisse mulierem, quæ caput Ecclesiæ diceretur, nempe Elisabetham Henrici Octaui, ex Anna Bolena filiam. De qua ridiculum quid narrat Christophorus Besoldus Iurisconsultus & Antecessor Tubingensis primarius, Lutheranus in dissertatione sua politico-Iuridica de Maiestate in genere cap. 3. num. 5. hisce verbis: *Catholicis ridiculum est, fœminam* (Elisabetham Reginam) *caput Ecclesiæ fuisse;*
pág. 118. *Bellarminus 4. de Eccles. cap. 9. At refert alicubi Pierre Mathieu; prædictam Reginam in gratiam cuiusdam Galliæ Regis saltasse, eumque interrogatum, quid de hac saltandi ratione sentiret, aliter nihil respondisse, quā: En verité le chef de l' Eglise Angloise danse bien, hoc est, Caput Ecclesiæ Anglicanæ bene & elegāter tripudiat. Et Petrus Mathieu, ille cuius fit mentio, est historiographus Regis Galliæ.* Mirum ergo, quod illi, qui absurdū esse adeo vrgent, Ioannam Papissam fœminam Caput fuisse Ecclesiæ, eaque intermedia interruptam esse lineam successionis Pontificiæ, ijdem tamen Elisabetham fœminā in ratione Capitis Ecclesiæ faciāt successorē Henrici VIII. & id non ex ignorātia, sed aperta scientia sexus fœminei: *Mulier in Ecclesia taceat, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* 1. Cor. 14. 34. Ergo contra Apostolicam ordinationem, & legem est, vt ibidē habet Apostolus, mulierem in Ecclesia fun-

ctioné Ecclesiasticæ Iurisdictionis exercere, super viros, saltem mandãdo, leges Ecclesiæ præscribẽdo, Ministros corrigendo, Ecclesiã reformando, cum nomine & ratione Capitis Ecclesiæ. Si autem id Aduersarijs non videatur absurdũ, quid absurdi inferũt, ex Papissa?

CAPVT II.

An Papissa præiudicasset ordinationi ministrorum Ecclesiæ.

ITa argumentantur Aduersarij, vt per eã velint dubiã reddi ordinationẽ sacerdotum & vocationẽ Pastorũ Ecclesiæ vsq; ad hæc tẽpora. Stulte sane & pueriliter. 1. enim ordinatio ab illa ordinatorum irrita fuisset, & absque dubio errore tandẽ aperto, recõsecrati illi fuissent. 2. Videtur sibi imaginari Aduersarij Papæ successorem, authoritatẽ suam habere à prædecessore, adeoq; si prædecessor potestatẽ nullã habuisset, nec successorẽ aliquam habiturũ. Pueriliter: Nos enim docemus Papam suã authoritatẽ non habere ab vllo homine, neque ab electoribus, quãuis electio cõditio sit requisita: sed immediate à Deo, idq; vi illius verbi Petro dicti, Ioan. 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Quod verbum Petro vt ordinario Capiti Ecclesiæ dictum, vim suam habet ad omnem legitimum eius successorẽ, adeo vt immediate à Deo, supposita legitima electione, habeat Papa omnem suam Authoritatem. Nullitas ergo Papissæ nihil præiudicat successori, qui non ab ea, sed à Deo immediate habuisset plenam authoritatem.

Saltem, rursum inferunt, fuisset tunc

Ecclesia sine capite externo. Ergo & cessasset omnis membrorum huius corporis functio:

Resp. Hoc non maiorem in Papissa habet difficultatem, quam in quouis Pontifice cum moritur. Et respondeat nobis quis ex Aduersarijs pro Ecclesia Anglicana: an moriente Rege Angliæ Capite Ecclesiæ Anglicæ, ideo Ecclesia in omni functione simul moriatur, vti in corpore naturali omnes membrorum functiones moriente capite, deficiunt, & responderit sibi. Alioquin sciat aliam esse rationem Capitis naturalis, aliam Capitis mystici, siue illud sit politicum, siue Ecclesiasticum; quo moriente, non ideo Corpus illud interire necesse est, vt in quolibet regno constat.

CAPVT III.

Num Papissa praiudicasset fidei Ecclesiæ, adeo vt ea perijsset.

HIc vir sibi videtur Grimmius, & interum suum vel acu terigisse. Audiamus ergo probantem ex Papissæ facto fidem Ecclesiæ perijsse.

Errasset, inquit, sane Ecclesia; quæ credere debebat hunc Ioannem, verum esse Pontificem; Nam hunc electum Pontificé, verum esse Papam, Petri in eadem potestate successorem, & Christi Vicariũ, de fide esse, ac credere fide diuina debere Papistas, do-

docet Papisticus Doctor Iacobus Brovver apud Georgium Polachum in bullam Iubilæi Vrbani Octaui, anno 1625. Atqui fides hæc falsa in Papissa fuisset, ac sic perijsset fides totius Ecclesiæ.

Resp. Num de fide sit, hunc electum Pontificem esse verum Pontificem, Petri successorem, disputari in Scholis, nec quidquã hac in re ab Ecclesia est definitum. Est enim aliud disputare, num sit fide diuina id credendum, quod in Claue Theologica sua probabiliter facit Brovverus Theologus Duacensis; aliud vero est, id Ecclesiam expresse credere tanquam de fide.

Sed, si non credatur fide diuina, Ergone habet Ecclesia incertum, hunc electum esse verum Pontificem? Nã hinc incertæ reddententur omnes eius definitiones & decreta, quæ legitimam eius electionem supponũt.

Resp. Habet id Ecclesia certissimum, idque hoc argumento:

1. Omnis Pontifex legitime, electus, est verus Petri successor in regimine totius Ecclesiæ, & Christi Vicarius.

2. Atqui hic Pontifex est legitime electus.

Ergo hic Pontifex est verus Petri successor in regimine totius Ecclesiæ, & Christi Vicarius.

In hoc syllogismo certissima deducitur

conclusio ex Maiore de fide, & Minore certa moraliter, quando prudenter non constat de opposito: sed an Conclusio deducta ex vna de fide, & ex altera naturaliter, vel moraliter certa sit fidei, in Schola disputatur. Multi affirmant cum Cano, multi negant. Vide Coninck de actibus supernat. tom. 1. disput. 9. dub. 11. Hoc constat inferri Conclusionem certissimam, quæ Conclusionis certitudo sufficit ad hoc, vt definitiones Pontificis è Cathedra, habeantur infallibiles, imo de fide, quando Ecclesiæ è Cathedra proponuntur: Nam quamuis electio absolute & speculatiue considerata posset forte esse nulla, vt supponimus in Papissa gratis nunc; spectata tamen ad diuinam prouidentiam nobis reuelatam in scripturis de Ecclesia ab errore conseruanda Matt. 16. 1. Tim. 3. ad eã spectat, vt antequam Ecclesia generaliter inde nocumentum aliquod acciperet, defectum electionis detegere. Vnde si electa esset fœmina, nunquam stante diuina hoc prouidentia nobis reuelata, Ecclesiam decepisset quidpiam definiendo: sed Deus detegendo defectum, præuenisset omnem eius definitionẽ. *Vide* quæst. 1. Valentiam 2. 2. disp. 1. puncto 7. Bannes ib. dub. 7. Malderum ib. art. 10 disputat. 5.

Inferes. Ergo saltẽ in eorũ sententia qui putant fide diuina tenendum electum hũc

Ponti-

Pontificē, esse verum Pontificē, fides Ecclesiæ totius in Ioanna Papissa fuisset erronea.

Resp. 1. Omnino factum fuisset per diuinā prouidentiam, & Ecclesiæ assistentiam, vt antequam electio hæc nulla, ad notitiam totius Ecclesiæ deuenisset; detecta fuisset, sicque Ecclesia in toto non fuisset decepta.

Resp. 2. Qui ita sentiunt, vt in argumento supponitur, faciunt casum de Papissa, supposita diuina prouidentia in fide Ecclesiæ conseruanda impossibilem; adeoque quæstio huius Tractatus Octaui apud eos non habet locum. Vide Brovverum in Claui Apostolica art. 10. ad primum, vbi argumento ab hac fabula desumpto respondet. Iam vero ex casu impossibili apud eos, deduci absurda, non est mirum.

CAPVT IV.

Retorsio probri, Papissæ in Aduersarios.

QVia Aduersarij macula Papissæ conspurcate nituntur Sedem Apostolicā; videndum, an non magis seipsos defœdent, dum non solū possibilem talem errorē esse docent, sed & hoc docent, si per errorem nō fœminam solum; sed & Diabolum in specie humana contingat ad functionem Ecclesiasticam euehi, rata fore omnia, quæ nos Catholici solis hominibus à Christo concessa esse docemus. Vt hinc pateat, quā

 puerili-

pueriliter ludant Aduersarij in Papissa: quã etsi cõcederemus ex deceptione sedisse, irrita nihilominus esse doceremus omnia eius Papalia attentata, adeoque Ordinationes, decreta, & alia, nullius momenti.

Prodeat inprimis Lutherus in medium, & suam nobis de hoc monstrosam sane sententiam depromat. Ille ergo lib. de missa priuata, & Sacerdotũ vnctione hæc habet; verba ex Germanico sic verto: *Nolo dicere, quod Papista dicunt, nullum Angelum, nec Mariam posse consecrare &c. Sed ego dico, etiamsi Diabolus ipse veniret (si probus adeo esset, vt facere illud vellet, aut posset) sed pono, vt postea rescissem Diabolum sic irrepsisse in officium, vel in specie hominis se ad officium Pastoris vocatum, publice in Ecclesia prædicasse, baptizasse, Missam celebrasse, absoluisse, & tali munere, ac Sacramento instar Parochi functum secundum mandatum & ordinationem Christi; tunc cogeremur fateri, Sacramenta illa vera fuisse, verum Baptismum, verum Euangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum Corporis & sanguinis Christi nos accepisse &c.*

Tom. 7. Lutheri Germ. edit. VVittenberg fol. mihi 495. De anno 1554. Opera Melancht. by Hans Lust.

Legant hæc Lutherani & confundantur: Quomodo enim clamant absurdum fœminam Sedem Pontificalem occupasse, ordinasse, consecrasse, absoluisse, qui aperte docent in Magistro suo, etiamsi Diabolus ea efficeret, vera tamen esse? Annon absurdius

dius Diabolum sub specie humana officiũ Pastorale exercere, quam fœminam? sed voluit id honoris tribuere Lutherus Diabolo, forte in mercedem, quod eum tam præclarum Doctorem in repudianda missa velut mera idololatria habuerat, vt ibidem fuse narrat, & argumenta eius proponit, quibus Diaboli telis, in oppugnanda Missa postea vsus est, & ibidem fuse explicat. Horrenda sane res, audere hominem hæc scribere, sed magis horrendum, homines sapientes talibus portentis fidem posse habere.

Prodeat 2. Caluinus. Is in epistolis, & responsis habet epistolam 104. ad Lelium Zozinum Italum, in qua de validitate Baptismi Papistarum agens, ait: *Iam nihil mea refert, sitne homo Lucianicus, qui baptizat, sitne* DIABOLVS; *tantum enim respicienda est institutio, & continuus vsus, qui ex Christi mandato tanquam ex fonte fluxit.* Vult Caluinus non respicere nos ad personam Ministri; sed ipsam actionem conformem institutioni Christi, siue minister sit Lucianicus, id est, contemptor Dei & atheus. Siue Diabolus ipse. Horrenda verba; quasi Christus instituisset Diabolum ministrum. Loquitur quidem conditionate Caluinus, sed tamen conditione posita, ponit & vera fore Sacramenta.

Vtor editione Lausannensi anni 1576 *pag.* 198.

Legant hæc Caluinistæ, & videant, num absurdius sit, Dæmonem baptizare, quam fœminã, aut alia Sacramenta administrare. Atque vt obiter hoc adijciam, idem Caluinus epist. 323. docet inualidum esse Baptisma, à priuato, & maxime à fœmina collatum, ac fore repetendum. Prô pudor! Baptismus à Lucianico, & Diabolo collatus censetur validus, & hominis priuati, etsi fidelis censetur inualidus! Hæc sunt verborum portenta, & monstra! Et hæc non vident illi, qui apertos adeo habent oculos in res aliorum.

MANTISSA

Ad hunc Tractatum.

ADijcio ad finem, mirabilem casum, auidus sciendi, quid de eo, si contigerit, sentiant Aduersarij. Dabo autem eum non fide mea, sed fide Syluestri Petra sancta in notis ad epistolam Petri Molinæi cap. 27. num. 13. Is agens eo capite de Papissa. Hæc habet: *si vellem go magis verisimilia iam promere, dicerem, superiori anno ex Anglia scriptum fuisse, vnum ex Prædicantibus, qui, cum esset Hermaphroditus, diu Vir, & maritus fuerat, muliebria passum à proprio verna, & ex eo concepisse, tanto in luxuriam furore agebatur. In quam rem lusit ingeniose, qui Epigramma de eo argumento scribẽs, Caluino gratulatus est, ob propaginem*

Liber editus anno 1634.

nem tam fœcundam, in cuius nempe secta, quemadmodum ipse loquebatur.

Vir mulierque parit.


Sic Euangelij reformati miraculum fuerit, vnum Ministrum Verbi repertum, qui simul & frater, & soror, & Mater & Pater posset appellari. Hæc saltem referuntur fide maiori; cum non petantur ab annis ducentis, aut trecentis, sed à paucis omnino mensibus, in quo temporis exiguo spatio est minor libertas fingendi, mentiendique. Profecto, si hæc vera historia est, Caluinistæ referent in Annales suos portentum luxuriæ, quale ante hac numquam legimus, si figmentum tamen est, fabula fabulam refellere quis vetat? Ita ille libro edito, cui Molinæus, vel alius respondere potest. Quid Caluinistis de hoc propudio videtur? Num verus hic Minister, & legitima eius Sacramenta? An vero iteranda? Num turpius fœminam dolo subijsse ministerium Ecclesiæ, an Ministrum Hermaphroditum? Patrem simul & Matrem? sed clamabunt mendacium esse, & figmentum. Ego nihil affirmo, Vrgeant saltem Molinæum vt Syluestrum ad ampliorem huius rei probationem excitet, Forte litteræ, & facti locus producentur; cum non à centum annis, sed ab vno anno narretur hoc factum, & scribatur.

Atque ita Commentarium hunc finio, quem ad Veritatis declarationem, Sedis

Apostolicæ defensionem, Credulorum & simplicium instructionem, Aduersariorum confusionem in lucem exire volui. Omnia cum subiectione ad Iudicium & Censuram doctiorum, maxime Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quam matrem & magistram in omnibus agnosco, velut Christi sponsam, in qua sicut viuere, ita mori salutem meam æstimo, & confido, dicta sunto.

Ecclesiastici cap. 19. 4.

Qui credit cito, leuis est corde.



INDEX

INDEX
Tractatuum & Capitum.

TRACTATVS PRIMVS. *De testibus discordibus Papissæ.*

TRACTATVS SECVNDVS.

Contra Papissam probatio, maxime ex vera temporum supputatione, & alto scriptorum silentio prima annorum subsequentium Centuria.

Cap.

TRACTATVS TERTIVS.

Silentium ſcriptorum ſecundæ annorum ſubſequentium Centuriæ, ab anno 955. ad 1055.

TRACTATVS QVARTVS.

Silentium ſcriptorum tertiæ annorum ſubſequentium Centuriæ, ab anno 1055. ad 1155.

TRACTATVS QVINTVS.

Silentium scriptorum quartæ annorum subsequentium Centuriæ, ab anno 1155. ad 1255.

TRACTATVS SEXTVS.

Quid Authores post 400. annos?

Cap.

TRACTATVS SEPTIMVS.

Testimonia Aduersariorum contra Papissam.

TRACTATVS OCTAVVS.

Absurde vrgere Aduersarios hanc fabulam.

CONCLVSIO.

FINIS.

